



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica**

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

**Tanner, Adam**

**Ingolstadii, 1626**

Quæstio IV. De Causis Prædestinationis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

tale virtutis bonum à Deo non prædefiniri ante præuisionem peccati; siquidem talis præfinitio aliàs plane esset interpretatiua quædam & virtualis voluntas ipsius peccati; vt bene probat obiectio, & inferius quæst. 5. dub. 6. rursum dicitur. Et quamuis Sanctus Augustinus sæpius indicare videatur, præscientiam peccati vniuersim

priorem esse illo bono, cuius peccatum erit occasio; id tamen vniuersim non de præscientia absoluta, sed conditionata intelligendum; vt pro ratione subiectæ materiæ ex ipso sermonis contextu colligi poterit, & rectè deducit Suarez numero 9.

## QVÆSTIO IV.

### De Causis Prædestinationis.

S. Thomas I. p. q. 23. a. 5. & 8.

**A**bsoluetur hæc questio quinque dubitationibus. I. An, & quanam sit finalis causa totius Prædestinationis, quoad suos effectus: & qua ratione ex hoc ipso sine reddi possit ratio ipsius Prædestinationis, tum in genere, tum in specie. II. An, & qua ratione detur causa meritoria Prædestinationis ex parte Christi, seu generatim, extra Prædestinatam. III. Quanam contra varias hæreses certa sint, circa causam meritoriam Prædestinationis, ex parte prædestinati. IV. Quid Scholastici nonnulli de Prædestinationis causa ex parte prædestinati senserint. V. Quanam sit vera sententia de causa Prædestinationis ex parte prædestinati: & an omnino detur aliqua causa meritoria, vel dispositiua, seu impetratoria, vel causa per accidens, siue occasio, aut saltem conditio sine qua non, totius Prædestinationis, ex parte prædestinati.

#### DVBIVM I.

*An, & quanam sit finalis causa totius Prædestinationis quoad suos effectus: & qua ratione ex hoc ipso sine reddi possit ratio ipsius Prædestinationis, tum in genere, tum in specie.*

S. Thomas I. p. q. 23. a. 5.

**E**xplicatis effectibus Prædestinationis sequitur, vt eius causas inquiramus; de quibus magna iam olim cum hæreticis; & nunc hodie etiam nonnulla inter ipsos Catholicos est controuersia, vt dubio tertio & quarto explicabitur; postquam hoc & sequenti dubio, iuxta tituli vnicuique præfixi rationem, exposuerimus ea, quæ minorem habent difficultatem, nec admodum controuersa sunt.

Supponendum igitur ex dubio præcedent. cum prædestinatio sit actus immanens in Deo, ac proinde realiter idem cum ipsa essentia diuina; ipsius prædestinationis secundum se, & quoad entitatem suam propriè nullam dari causam: nec efficientem, quia in Deo nihil est factum: nec finalem; quia Deus propriè ad nullum finem ordinatur, nec ad seipsum quidem: nec materialem ac subiectiuam; quia prædestinatio non est accidens; nec in Deo vlla est potentia passiva: nec formalem; quia cum prædestinatio sit ipse Deus, & forma non formata, actusque purissimus, non potest ipsa habere aliam causam formalem. Quo modo etiam Albertus in primum distinctione 41. quæst. prima, ait: *Dicendum cum Augustino & Magistro, quod prædestinatio & re-*

*probatio non habent aliquam causam: quia nec efficientem, nec materialem ex qua (vel in qua) neque finalem. Idem supponit Sanctus Thomas hic quæst. 23. art. 5.*

Supponendum secundò, dari tamen causas effectuum prædestinationis: quia nec effectus quidem prædestinationis essent, nisi causas haberent. Nec est aliqua difficultas de efficiente physica: constat enim, Deum esse causam efficientem, primariam omnium effectuum prædestinationis ex quæstione præcedent. dub. 1. An & quanam sit causa efficiens secundaria, ex particulari ratione vniuscuiusque effectus facile poterit esse manifestum, cogitanti. Neque de causa materiali, aut formali, est controuersia; siquidem illæ etiam ex propria ratione cuiusque effectus prædestinationis facile dignoscuntur & determinantur. Solum ergo est difficultas, tum de causa finali effectuum prædestinationis; tum de meritoria, seu motiua in genere; tam ea, quæ est extra prædestinatum, quam quæ est in prædestinato. Et in præsentī dubio solum agendum est de causa finali; & quanam ratione ex ea reddi possit ratio prædestinationis, tum in communi, tum in particulari quod quidem à no-

bis se-

bis sequentibus assertionibus declaratur.

4 Assertio I. **DEVS**, siue gloria diuina, est causa finalis suprema omnium effectuum prædestinationis; secundaria, & immediatè subordinata, **CHRISTVS**; minus principalis autem, complementum seu perfectio vniuersi. Itæ ferè Sanctus Thomas hic quæstion. 23. artic. 5. vbi ait: *Habet tamen hoc modo prædestinatio ex parte effectus pro ratione diuinam voluntatem, ad quam totus effectus prædestinationis ordinatur, ut in finem; & ex qua procedit, sicut ex principio primo mouente.* Et respon. ad 3. ait: *ad completionem vniuersi requiri diuersos gradus rerum, &c. Et ut multiformitas graduum conseruetur in rebus, DEVM permittere aliqua mala fieri.* Et rursum quæstio. 19. articulo quinto, ad 3. ait: *DEVS voluit hominem esse hominem, ut frueretur ipso, vel ad complementum vniuersi, quæ quidem non est reducere ad alios fines creatos vltiores.*

Ratio primæ partis est; quia **DEVS** est suprema causa finalis omnium suorum effectuum; iuxta illud Prouerb. 16. vers. 4. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus*, ut generatim dictum citat. disputat. secunda quæstion. 10. dubio quarto, omnes autem, effectus prædestinationis sunt effectus **DEI**; quandoquidem, prædestinatio ipsa est actus **DEI**. Idem patet ex illo ad Rom. 9. vers. 23. *Ut ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ preparauit in gloriam.* Et Ephes. 1. vers. 12. *Prædestinati secundum propositum eius, &c. ut simus in laudem gloriæ eius.*

5 Secunda pars colligitur ex simili in Concilio Tridentino sessione 7. capit. 7. vbi dicitur, causam finalem Iustificationis esse gloriam **DEI**, & **CHRISTI**, ac vitam æternam. Idem patet ex illo 1. Corinth. 3. vers. 23. *Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, CHRISTVS autem DEI.* Plures Scripturæ adducuntur dubio 7. ex quibus planè patet, Christum ut hominem esse causam finalem secundariam omnium effectuum prædestinationis, imò & ipsius etiam prædestinationis relatæ ad suos effectus, tam nostræ, quam Angelicæ; quam esse posteriorem Christi prædestinatione ibidem ostendimus.

Ratio tertiæ partis est; quia gloria diuina elucescit ex perfectione vniuersi: & pars cuiusque totius immediatius refertur ad bonum & perfectionem totius, quam ad ipsum finem supremum totius.

6 Assertio II. Ex eo ipso proinde sine reddi potest ratio Prædestinationis aliquorum, & reprobationis aliorum in communi, cur scilicet, aliqui à **DEO** prædestinentur, aliqui reproben- tur, indefinitè loquendo; desumpta nimirum tum ex perfectione vniuersi; tum ex repræsentatione diuinæ perfectionis, & manifestatione Sapientiæ, bonitatis, & iustitiæ **DEI**. Ita sanctus Thomas hic quæstio. vicesima tertia articulo quinto, ad tertium, & videtur ferè extra controuersiam, si generatim loquamur. In specie autem ita etiam docent Heræus in primum dist. 40. quæstion. prima, Durandus dist. 41. q. secunda, item Gerson, Egidius &c. quos sequun-

tur & referunt. Eckius in Chrysostasso centur. 2. numero vigesimo secundo, & Carthusianus in primum distinct. 41. quæstio. prima, & consentiunt Thomistæ omnes, alijque, Scriptores recentiores inferius citandi. Solus Aureolus, quod equidem sciam, in primum distinct. quadragesima prima quæstion. prima, articulo primo, Sanctum Thomam impugnat, sed absque neruo. Solum probat, esse etiam aliam causam reprobationis positiuæ, ex parte prædestinati, quod nemo negat. Ratio est manifesta. Quia quicquid ex voluntate **DEI** fit, utique fit ad maiorem ipsius gloriam; & ut ex perfectione vniuersi perfectiones **DEI** magis manifestentur: quæ proinde etiam ratio generalis est omnium operum diuinorum.

Est autem operæ pretium, verba formalia sancti Thomæ, & aliorum quorundam veterum Theologorum, in re tam graui, hic subiungere, præsertim quia sunt nonnulli, qui licet apertè assertionem hanc negare non ausint, subinde tamen doctrinam Sancti Thomæ hac in re velut duriorē vellicare videntur; alij etiam durius fortasse explicant, quam mens Sancti Thomæ exigat. Ita autem loquitur S. Thomas loc. cit. [Dicens, quod ex ipsa bonitate diuina ratio sumi potest prædestinationis aliquorum, & reprobationis aliorum. Sic enim **DEVS** dicitur omnia propter suam bonitatem fecisse, ut in rebus diuina bonitas repræsentetur. Necessè est autem, quod diuina bonitas (quæ in se est vna & simplex) multiformiter repræsentetur in rebus; propter hoc, quod res creatæ ad simplicitatem diuinam attingere non possunt. Et inde est, quod ad completionem vniuersi requirantur diuersi gradus rerum, quarum quædam altum, & quædam infimum locum teneant in vniuerso. Et ut multiformitas graduum conseruetur in rebus, **DEVS** permittit aliqua mala fieri, ne multa bona impediatur, ut supra dictum est. Sic igitur consideremus totum genus humanum, sicut totam rerum vniuersitatem. Voluit igitur **DEVS**, in hominibus, quantum ad aliquos, quos prædestinat, suam repræsentare bonitatem, per modum misericordiæ parcendo; & quantum ad aliquos quos reprobat, per modum iustitiæ puniendo. Et hæc est ratio, quare **DEVS** quosdam eligit, & quosdam reprobat. Et hanc causam assignat Apostolus ad Roman. 9. dicens. Volens **DEVS** ostendere iram, id est, vindictam iustitiæ, & notam facere potentiam suam, sustinuit, id est, permittit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostendat diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, quæ preparauit in gloriam. Et 2. Timoth. 2. dicit; In magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & stercilia. Et quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam.] Ita sanctus Thomas.

Quæ tamen ita minimè intelligenda sunt, quasi **DEVS** ante præscientiam absolutam peccati, habuerit intentionem, vel voluntatem, absolutam & efficacem; manifestandi suam iustitiam vindicatiuam; siquidem Deus ex se &

propria sua quasi propensione talem voluntatem non habet; ut dictum supra disputatio. 2. quæstio. 10. dub. 3. aliàs enim virtute & interpretatiuè vellet ipsam etiam culpam, ut in simili dictum quæstio. præcedent. dub. 3. & quoad hoc bene etiam docet Aureolus loco citat. et si contrarium indicet Heruæus in 1. dist. 40. q. 1. sed solum habuit voluntatem illam post præuisam culpam: ante præuisionem hanc autem solum præcognouit, se posse hoc bonum elicere, ex peccato, si ab homine fieret; adeoque voluntatem tantum conditionatam habuit, ita se gerendi cum homine, si ipse peccaret, ut bene notarunt inter alios etiam Molina hic quæst. 23. articulo 5. disputat. 1. memb. 6. & Suarez hic lib. 5. de prædestinat. capit. 5. numero 11.

Ratio ergo S. Thomæ in hoc consistit: quod sicut ad representandam, ut decebat, variè diuinæ naturæ perfectionem, opus erat in genere naturæ, varios gradus & ordines rerum existere, ita etiam ad declarandam maiestatem suam, velut authoris ordinis supernaturalis, voluit conuenienter **D E V S**, in creaturis intelligentibus, quæ solæ capaces sunt finis supernaturalis, partim directè efficiendo & procurando, partim, quoad malitiam, solum permittendo, varios ordines & gradus esse; ut scilicet in ijs quidem, quos prædestinat; suam ostenderet bonitatem, per misericordiam parcendo; in alijs verò quos supposità permissione peccati, ob permissum à se & præuisum peccatum reprobat, eiusdem suæ naturæ perfectionem demonstraret, per Iustitiam puniendo.

Idem confirmatur ex illo Exodi 9. versu 16. quod etiam refertur ab Apostolo citat. Rom. 9. versu 17. *Dicit enim Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, & ut annuntiem nomen meum in vniuersa terra. Quo modo etiam de saluatione loquitur psalmus 105. versu 8. Et saluauit eos propter nomen suum, ut notam faceret potentiam suam.* Ex quo utroque loco patet, & saluationem bonorum, & damnationem malorum, referri ad demonstrandam Dei perfectionem; hinc quidem Iustitiam; illinc autem potentiam bonitatis diuinæ.

Eodem modo loquitur Durandus loco citat. numero 8. vbi ait: [Potest tamen reddi ex perfectione vniuersi, & ex representatione diuinæ perfectionis causa scilicet totius effectus prædestinationis in genere. Ex perfectione vniuersi sic: Ad perfectionem vniuersi pertinet, quod contineat non solum omnes gradus perfectionis in natura, sed etiam omnes gradus bonitatis & perfectionis in moribus, sed vniuersum non contineret omnes gradus bonitatis & perfectionis in moribus, nisi Deus quosdam ex misericordia saluaret, & alios ex iustitia puniret; si enim omnes saluaret, deesset vniuerso bonum Iustitiæ punientis: igitur perfectio vniuersi requirit, quod aliqui prædestinentur & saluentur, alij verò permittantur cadere, & in casu manere, ut sic demum damnentur & puniantur. Idem patet ex representatione diuinæ perfectionis: quia perfectius representant diuinam perfectionem o-

mines effectus simul sumpti, quam aliquis eorum per se sumptus; & ideo in vniuerso sunt diuersi effectus, ut secundum alium & alium modum diuina perfectio representetur. Et sicut est de partibus vniuersi generaliter, sic est de creatura intellectuali specialiter: nam si omnes saluarentur, aut omnes damnarentur, non tot modis representaretur diuina perfectio. Quosdam ergo prædestinat, representando bonitatem suam per modum misericordiae: alios verò damnat, representando perfectionem suam per modum Iustitiæ. ] Ita Durandus; & addit, [hæc esse, in quibus communiter Doctores concordant. ]

Item Gerson lib. 1. de consolat. Theol. *Quid si Deus*, inquit, *vult in magna domo sua manifestare diuinitas gloriæ suæ? istis in ostensionem misericordiae suæ; alijs in manifestationem Iustitiæ; glorificans illos ex misericordia, istos ex Iustitia derelinquens; quatenus resurget carmen illud pulcherrimum, ex gravi tenore Iustitiæ, & molli cantu misericordiae, de quali proficitur Prophecia, Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Ita Gerson. Hæc ergo ut dixi, est communis Doctorum sententia: quæ satis ex dictis declarata & probata relinquatur, & verò procedit etiam, si præterea dentur alij fines particulares vniuscuiusque prædestinationis, siue non.

Assertio III. Tametsi, ut dictum, ex ipsa causa finali effectuum prædestinationis, in genere, assignari possit ratio, cur aliqui prædestinentur à Deo, aliqui reprobentur; tamen in particulari cur isti sint prædestinati ad gratiam & gloriam, alij non item, sed supposità præscientiâ peccati reprobat; nulla potest alia ratio reddi, præter diuinam voluntatem. Ita contra Aureolum in 1. d. 41. q. 1. a. & ferè etiam contra Bonauerum in 1. dist. 41. a. 1. q. 2. cuius verba referemus q. 5. dub. 3. habet communis Doctorum sententia, cum S. Thoma citat q. 23. art. 5. quò loco post verba superius relata mox subiungit: [Sed quare hos eleget in gloriam, & illos reprobauit, non habet rationem, nisi diuinam voluntatem. &c. Sicut etiam in rebus naturalibus potest assignari ratio, cum prima materia tota sit in se vniuersa, quare vna pars eius est sub forma ignis, & alia sub forma terræ, à Deo in principio condita, ut sit diuersitas speciei in rebus naturalibus. Sed quare hæc pars materia est sub ista forma, & illa sub alia, dependet ex simplici diuina voluntate: sicut ex simplici voluntate artificis dependet, quod ille lapis est in ista parte parietis, & ille in alia; quamuis ratio artis habeat, quod aliqui sint in hac, & aliqui sint in illa. ] Ita Sanctus Thomas, quæ refert etiam, nec improbat Richardus in 1. dist. 41. a. 2. q. 2.

Eadem prorsus habet Heruæus in 1. d. 40. q. 1. vbi ait: [Quod in quibusdam inueniatur, Iustitia puniens, in alijs misericordia liberans, pertinet ad perfectionem vniuersi. Sed quod iste homo determinatè puniatur, & reprobetur, ille autè saluetur, non pertinet ad perfectionem vniuersi; vel manifestationem diuinæ bonitatis, plus; quam si fieret e conuerso. ] Quod mox etià exemplo temporalis politiæ aptè declarat: [In humanis etiam, inquit, ponimus exemplum, Quod si in-

aliquo

aliquo regno, cui aliquis Rex praesidet, essent omnes alij à Rege aequales in scientia, & virtute, & in omnibus; & nullus eorum haberet Ius in possessionibus, siue rebus regni, nisi de voluntate regis: hoc supposito, bene posset ostendi, quod ad perfectam bonitatem regni requiretetur, quod quidam illorum essent coloni, quidam milites, & quidam consiliarij, & quidam regerent vnam partem regni, quidam aliam; sed quare determinatè iste fiat colonus, & ille miles, non potest ostendi ex bonitate regni. Bonitas enim communis non exigit plus, quod iste sit miles, & iste colonus, quam è conuerso, ex quo à principio ponuntur pares in omnibus: sed hoc pendet ex mera voluntate regis. Nec tamen voluntas Regis, qui facit istum militem, & illum colonum, est irrationabilis; licet non inueniatur in isto, quare debeat esse plus miles, quam ille colonus: quia in talibus, in quibus non potest inueniri causa, quare vnum praeferatur alteri, non est quaerere causam, quare hic praeferatur illi, sed pro libitu vti hic illis, illo ad diuersa, prout exigit communis utilitas, est rationabile. Sic est de reprobandis & saluandis, ita quod potest applicari ad eos, sicut & praecedens exemplum.] Ita Hieronymus.

12 Idem habet Durandus in 1. distinct. 41. quaest. 2. numero decimo quarto, vbi exemplo quoque artificiose rem declarat, quo etiam Apostolus vtitur Rom. 9. [Dicendum, inquit, quod non potest in particulari reddi causa praedestinationis; licet possit reddi in vniuersali, modo superius expresso. Non enim pertinet ad perfectionem Vniuersi, vel representationem perfectionis diuinæ magis, quod iste saluetur, & ille damnetur, quam è conuerso. Huius autem ponitur duplex exemplum, vnum in artificialibus, & aliud in naturalibus. In artificialibus enim videmus, quod bene potest reddi ratio, quare figulus de eadem massa facit vasa quaedam in honorem (hoc est, ad honorabiles vsus) alia autem facit in contumeliam, & ad viles vsus; quia hoc requirit perfectio domus, quæ vtriusque indiget: sed nulla causa reddi potest, quare ex hac parte massa facit vasa in honorem, & ex alia facit vasa in contumeliam (cum tota massa secundum se sit similis & vniuersalis) nisi sola voluntas artificis.] Ita Durandus, qui mox exemplum è naturalibus petitem subiicit; sed quod iam ex S. Thoma retulimus. Idem sentiunt & docent citati pro precedente assertionem, & fuscè inter alios persequitur, atque ex Augustino probat etiam Pererius in cap. 9. ad Rom. disputat. 12. & 13. neque dissentit quoad hoc Molina hic quaest. 23. art. 5. disput. 1. memb. 6. Opposita autem Aureoli fundamenta partim in fine huius dubitationis, partim quatenus causam praedestinationis ex parte vniuersaliusque praedestinati assignant, dub. 4. dissoluentur. *motus illi*

13 Probatur eadem assertio. Primò ex Scriptura; quæ causam huius rei, cùm in particulari vnus eligatur, alius reprobetur, vltimatè ad solam Dei voluntatem, & occultam eius consilia ac iudicia reuocat. Rom. 9. vers. 11. [Cum enim nondum nati fuissent (Iacob & Esau) aut aliquid boni e-

gissent, aut mali, (vt secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia maior seruiet minori: sicut scriptum est; Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus? nunquid iniustitia apud Deum? absit. Moysi enim dicit, Miserebor, cuius misereor; & misericordiam praestabo cuius miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni, Quia in hoc ipsum excitauit te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra. Ergo cuius vult miserebor, & quem vult indurat. Dicis itaque mihi, Quid adhuc queritur? voluntati enim eius quis resistit? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, Quid me fecisti sic? Annon habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Vbi apertissimè vides, in voluntatem Dei huius rei causam referri; idque eodem exemplo ex artificialibus petito demonstrari, quo à Scholasticis ipsis, qui hanc assertionem tradunt; explicari solet.

Eodem spectat illud Apostoli Rom. 11. vers. 33. [O altitudo diuitiarum sapientiae & scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?] Vbi rursum ad inscrutabilia Dei consilia refertur illud, quare repudiatis ad tempus Iudæis, propter incredulitatem, Dei misericordia, ac vera fidei cognitio gentibus obrigerit.

Secundò probatur assertio ex Sancto Augustino, qui eam frequenter tradit & repetit. Testimonia illustriora sunt ista. Lib. 1. de praedestinat. Sanct. cap. 8. [Cur ergo, inquit, non omnes docet, vt veniant ad Christum? nisi quia omnes, quod docet, misericordia docet; quos autem non docet, iudicio non docet: quoniam cuius vult miserebor, & quem vult obdurat: sed miserebor, bonum tribuens; obdurat digna retribuens.]

Et ibidem capit. 9. [Fides igitur & inchoata, & perfecta, donum Dei est: & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris literis repugnare. Cur autem non omnibus detur fidelem mouere non debet, qui credit ex vno omnes ille in condemnationem, sine dubitatione iustissimam? Ita vt nulla Dei iusta esset reprehensio, etiamsi nullus inde liberaretur. Vnde constat, magnam esse gratiam, quod plurimi liberantur, & quid sibi deberetur, in eis qui non liberantur, agnoscunt: vt qui gloriantur, non in suis meritis, quæ paria vident esse damnatis; sed in Domino gloriantur. Cur autem istum potius, quam illum liberet, inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Melius enim & hic audimus, aut dicimus, O homo tu quis es, qui respondeas Deo? quam dicere, audeamus, quasi nouerimus, quod occultum esse voluit; qui tamen aliquid iniustum velle non potuit.]

Et lib. sequenti de bono perseverant. capit. 8. ait: [Cum enim iustus esset, etiam si vtrumque puniret, qui liberatur, habet unde gratias agat; qui damnatur, non habet quod reprehendat. Sed si iam, inquit, hoc oportebat, ut damnatis non omnibus, quid omnibus deberetur, ostenderet, atque ita gratius suam gratiam in vasis misericordiam commendaret, cur in eadem causa me potius, quam illum puniret, aut illum, quam me potius liberabit? Hoc non dico, si quæris, quare: quia fateor me non inuenire, quid dicam. Si & hoc quæris, quare: quia in hac re, sicut iusta est ira eius, sic & magna est misericordia eius: ita inscrutabilia iudicia eius.]

17 Et mox explicans, cur non omnes in bono proposito perseverent, denique ad diuinam providentiam dispositionem recurrit: [Adhuc pergat & dicat, cur quibusdam, qui cum coluerunt, bona fide, perseverare vsque in finem non dedit? nisi quia non mentitur, qui dicit, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, mansissent vti que nobiscum. Nunquid ergo hominum naturæ duæ sunt? absit. Si duæ naturæ essent, gratia vlla non esset: nulli enim daretur gratuita liberatio, si naturæ debita redderentur. Hominiibus autem videtur, omnes qui boni apparent fideles, perseverantiam vsque in finem accipere debuisse. Deus autem melius esse iudicavit, miscere quosdam non perseveraturos, certo numero Sanctorum suorum, ut quibus non expedit in huius vitæ tentatione securitas, non possint esse securi. Multos enim à pernitiōsa elatione reprimit, quod ait Apostolus, Quapropter qui videtur stare, videat ne cadat. Voluntate autem sua cadit, qui cadit: & voluntate Dei stat, qui stat. Potens est enim Deus statuere illum; non ergo ipse seipsum, sed Deus. Veruntamen bonum est, non altum sapere, sed timere. In cogitatione autem sua vel cadit quisque, vel stat. Sicut autem Apostolus ait, quod & in libro superiori memoravi, Non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismet ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Quam secutus Beatus Ambrosius (de fuga seculi cap. 1.) audet, & dicit: Non enim in potestate nostra est cor nostrum, & nostræ cogitationes: quod omnis, qui humiliter & veraciter pius est, esse verissimum sentit.] Ita S. Augustinus ex S. Ambrosio; cuius dictum veram etiam assertionis causam continet, ut inferius declarabitur.

18 Et paulo post eodem cap. 8. [Ex duobus, inquit, paruulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur; & ex duobus ætate iam grandibus impijs, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur; ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem sequatur, inscrutabilia sunt iudicia Dei. Ex duobus autem pijs, cur huic donetur perseverantia vsque in finem, illi autem non donetur; inscrutabiliora sunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse.]

19 Et inferius eodem lib. de bono persever. capit. 11. ait Sanctus Augustinus: [Proinde sicut Apo-

stolus ait, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; qui & paruulis quibus vult, etiam non volentibus, neque currentibus subuenit, quos ante constitutionem mundi elegit in. CHRISTO, daturus etiam eis gratiam gratis, hoc est, nullis eorum vel fidei, vel operum meritis præcedentibus: & maioribus etiam his, quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus non vult subuenire, non subuenit: de quibus in sua prædestinatione occultè quidem, sed iustè aliud iudicavit: non enim est iniquitas apud Deum, sed inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius: Vniuersæ autem viæ Domini misericordia & veritas. Inuestigabilis ergo est misericordia, qua cuius vult miseretur, nullis eius præcedentibus meritis: & inuestigabilis veritas, qua quem vult obdurat, eius quidem præcedentibus meritis, sed cum eo cuius miseretur, plerumque communibus. Sicut duorum geminorum, quorum vnus assumitur, alius relinquatur, dispar est exitus, merita communia. In quibus tamen sic alter magna Dei bonitate liberatur, ut alter nulla eius iniquitate, damnetur. Nunquid enim iniquitas est apud Deum? absit: sed inuestigabiles sunt viæ ipsius. Itaque misericordiam eius in his qui liberantur, & veritatem in his qui puniuntur, sine dubitatione credamus: neque inscrutabilia scrutari, neque inuestigabilia vestigare conemur.

20 Et tandem caput idem concludens, ait sanctus Augustinus: *In eo ergo, quod alijs eam (gratiam) dat, alijs non dat, cur nolunt carere Domino misericordiam & iudicium? Cur autem illis potius, quam illis detur, qui cognouit sensum Domini? quis inscrutabilia scrutari valet? quis inuestigabilia vestigare? Quibus verbis breuiter vtramque assertionem nostram asserit, & quod in genere ratio detur ex parte Dei, prædestinationis & reprobationis; nimirum manifestatio diuinæ misericordiam & iustitiæ; sed in particulari nulla, ut dictum.*

21 Et rursus tractat. 26. in Ioann. *Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle diiudicare, si non vis errare. Et epist. 105. Cur illum potius, quam illum liberet, aut non liberet, scrutetur, qui potest, iudiciorum eius tam magnum profundum; sed caueat precipitium.*

22 Et lib. 1. ad Simplicianum quæstion. 2. sed si hoc mouet, inquit, quod voluntati eius nullus resistit; quia cui vult, subuenit, & quem vult, deserit; cum & ille, cui subuenit, & ille quem deserit, ex eadem massa sint peccatorum, & quantum debeat vterque supplicium, ab vno cæmen exigatur, alteri donetur: si hoc ego mouet, Homo tu quis es, qui respondeat DEO?

23 Denique lib. de Spirit. & lit. capit. 34. [Iam si ad illam, inquit, profunditatem scrutadam, quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeantur; ut persuadeatur; illi autem non ita; duo sola occurrunt interim, quæ respondere mihi placeat, O altitudo diuitiarum; &, Nunquid iniquitas apud Deum? Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caueat, ne inueniat præsumptores.]

Idem sapius repetit S. Prosper, defensor S. Augustini contra Semipelagianos. Etenim lib. ad

excerpta Genuesium, resp. ad dub. 7. Cur autem istum potius, quam istum liberet, responder: *Inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ ipsius. Melius enim hic audiamus, Ob homo tu quis es, qui respondeas Deo? quam dicere audeamus, quasi nouerimus, quod occultum esse uoluit, qui tamen aliquid iniustum uelle non potuit. Hæc omnia si non rectè dicta sunt, scrutabilia sunt iudicia Dei, & uestigabiles viæ eius: nec occultum est, quare ille potius, quam iste saluetur; & in se, non in Domino gloriabitur, qui alijs uicio suo pereuntibus, electione dignus inuentus est: ac sic iustitia quidem erit, quod plurimi damnantur, sed non erit gratia, quod plurimi liberantur, &c.*

24 Et ibidem resp. ad dub. 9. *Quare autem non omnes, aut quare illos potius, quam illos liberat, nec necessarium est querere, nec possibile reperire: cum omnis discretio nis istius causis, scire sufficiat, quod nec misericordia iustitiam, nec iustitia auferat misericordiam apud eum, à quo nemo nisi iuste damnatur, nemo nisi misericorditer liberatur.*

Denique resp. ad dub. 4. acriter reprehendit Pelagianos aliter sentientes: *Inuestigabiles igitur sunt, inquit, & misericordia, qua gratia liberat, & ueritas, qua iuste damnat. Non est ergo sanarum mentium, ista reprehendere, & inuestigabiles vias Domini, hoc est, dona misericordiae, & iudicia ueritatis, Pelagianorum melationi penetrabilia deputare. Quia secundum ipsos non latet consilium Dei, nec in occulto est diuina ratio uoluntatis, si erga omnem hominem tam gratia Dei, quam ira merito est. Similia habent Fulgentius, & alij SS. Patres: quæ quidem hoc loco prolixius referre placuit, ut quasi fundamenti loco deferuirent ad ea, quæ de gratuita Dei prædestinatione inferius dicturi sumus dub. 5. & q. 5. dub. 1. 4. & 5.*

25 Ratio uero assertionis ex eo minimè pendet, quod prædestinatio ad gloriam facta sit ante præuisionem meritorum, seu mediorum, quibus prædestinatus quisque saluatur; licet enim hinc etiam assertio rectè deducatur, id tamen nec est necessarium ad assertionem tuendam, & est non paulo incertius, quam ipsa assertio: sed sumitur ex eo, quod & pari hominum conditione existente, & æquali diuinæ gloriæ prouentu, ipsiusque Vniuersi perfectione inde consecutura, nulla causa est, cur Deus det vni gratiam congruam, qua ad finem usque iustus perseueret, alij non item.

Quod argumentum hoc modo explicatur. Si enim esset causa siue ratio, cur Deus hunc potius, quam alium prædestinasset ad gratiam congruam, simul, & gloriam, tum ea ratio vel desumeretur à Deo prædestinante, vel à perfectione Vniuersi, vel ab homine prædestinato: nihil horum dici potest. Non primum. Quia si ratio desumi à Deo posset, ea esset, vel quia non par ad Deum gloria redundasset, si alium potius, quam hunc ad gratiam similiter & gloriam prædestinasset; vel quia non potuit alium similiter ad gratiam & gloriam prædestinare & perducere; tertium enim non datur, nisi quis dicat, rationem esse, quia non uoluit; quo ipso iam habemus intentum; hoc ipsum enim est, quod dicimus, præter ipsam uoluntatem & beneplacitum Dei, non posse assignari aliam rationem eius rei: at uero ex duabus alijs causis neutra potest habere locum. Non prima. Quia cum

gloria Dei ex prædestinatione hominum inde oriatur, quod Deus, pro sua bonitate, hominem, vel Angelum, ex tanta peccati miseria & indignitate, seu ingenta naturæ imbecillitate, ad tantum gradum gratiæ & gloriæ euehat; nihil interest, quis in indiuiduo sit homo, seu Angelus, cui talis gratia obtingit; quando quicquid in vno est ad eum finem obtinendum prærogatiuæ & momenti, pariter etiam ad alium transferri potuit. Neque secunda causa locum habere potest: quia illa impossibilitas vel ex ignorantia prouenisset, vel ex impotentia, seu uirium defectu: uero utrumque impium est dicere, nimirum Deum aut modum nullum habuisse perspectum, quo alium similiter ad parem gratiæ & gloriæ gradum posset prouehere; aut si modum perspectum habuit, non tamen potuisse in opus redigere; ut supra etiam S. Augustinum discretentem audiuius.

26 Neque secundum dici potest, rationem uidelicet eius rei assignari posse ex perfectione Vniuersi: quia ad perfectionem Vniuersi solum spectat, ut in ordine rerum & effectuum etiam supernaturalium varij sint gradus, & variæ differentiæ, secundum quas, ad finis supernaturalis consecutionem, vel etiam ad diuinæ gloriæ manifestationem, ex hominibus, vel Angelis, varij variè se haberent; ut in alijs præ cæteris misericordia, in alijs iustitia eluceret, &c. sed hoc ipsum æquè etiam accidisset, siue hi, siue alij, pari numero & perfectione fuissent prædestinati, ut patet.

Neque tertium dici potest, assignari uidelicet rationem posse ex parte ipsius prædestinati. Tum quia nulla ex parte prædestinati est ratio, vel causa, totius prædestinationis, ut dubio 3. & 4. dicitur. Tum quia omnes homines & Angeli, quantum ad hanc rem atinet, paria sunt conditionis; parique conditione Deo prædestinanti offeruntur. Aut enim ponitur prædestinatio ad gratiam & gloriam prior præuisione peccati, aut in homine posterior. Si prior, iam quia Deo prædestinanti obijciuntur omnes homines & Angeli pari conditione innocentiae, nulla plane ratio ex parte hominum, aut Angelorum esse potest, cur hos vel illos elegerit & prædestinauerit ad gratiam & gloriam, potius, quam alios: sicut nulla ratio est, cur ex infinitis alijs hominibus, quos præter Adamum & posteros eius facere potuisset, hos potius, quam alios ex illo meræ possibilitatis nihilo extrahere, adeoque producere uoluerit. Si uero prædestinatio hominum facta est post peccati præuisionem, rursus nulla causa est, cur pari existente indignitatis & peccati conditione, hos potius quam illos uoluerit gratiæ congruæ largitione ad gratiam remissionis peccatorum ac perseuerantiam finalem prædestinare, quam alios.

Quod si dicas, istos uocationi respondisse, alios non item, redit quæstio, cur non & hos ita uocauerit, ut responderent, sicut sanè poterat. Nam ut ait Augustinus lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. *Cum alius sic, alius autem sic moueatur ad fidem, eademque res sepe alio modo dicta moueat, alio modo dicta non moueat, aliumque moueat, alium non moueat, quis audeat dicere, de fuisse Deo modum uocandi, quo etiam Esau ad eam fidem*

mentem applicaret, voluntatemq; coniungeret, in qua labor iustificatus est.

Quod si rursus opponas, alios plus peccasse, quam istos prædestinatos: id in primis vniuersim verum non est, quia è duobus infantibus, quorum vnus prædestinatus, alter reprobus moritur, neuter peccati conditione altero melior, aut deterior est, vt patet. Deinde etiam si inter adultos, quoad conditionem peccatorum personalium, vnus sit altero deterior; sæpe tamen accidit, vt maior peccator sit prædestinatus, minor reprobus: item esto, semper minor peccator potius à Deo prædestinetur, quam maior, quod quidem falsissimum est; nulla tamen ratio est, cur Deus maiorem peccatorem non aequè etiam sua gratia à pluribus illis & maioribus peccatis præseruarit, quæ præseruauit alterum; cum vtrunque aequè præseruare potuisset, vt superius dictum; & priusquam vterque vllum committeret peccatum, quoad peccati originalis conditionem planè pares essent, & ex æquo Dei misericordiam & indigni, & indigi.

Si recurras ad alia obstacula, vel impedimenta, quæ vnus saluti, aut prædestinationi potius, quam alterius obstitabant, rursus recurrit quæstio, quare non pari conditione opportunitateque vtrunque constituerit; aut si voluit dispari, cur non illum potius, quam illum, tali conditione locique aut temporis opportunitate gaudere voluerit; aut cum sæpe importunus quodammodo & violentus adiutor ipse interuenerit, vt in Saulo humili prostrato videre est, cur non pari vi & efficacia gratiæ etiam alium fuerit dignatus. Nihil ergo hic potest responderi, præter illud, *o altitudo*. Exemplis autem tum è rebus naturalibus, tum artificialibus, tum etiam politicis eadem assertio iam ex S. Thoma, Hieronymo, Durando, satis explicata est.

Ex quibus etiam patet, quid respondendum sit ad Aureoli fundamentum. Ait enim, Deum nullum reprobare, absq; causa affirmatiua, nec prædestinare absq; causa negatiua, & hinc reddi posse rationem, cur Deus vnus potius quam alterum prædestinet. Sed hoc falsissimum est. Nam præterquam quod dictum illud de causa negatiua prædestinationis planè falsum est, vt dicitur dub. 4. certè etiam Deus nullum possit reprobare, nisi ob præsumptum peccatum, vt quæstione 7. dicitur, nulla tamen est causa, cur pari existente peccati causa in omnibus, hunc potius, quam alium reprobet, vt dictum.

Obijcitur secundò. Si nulla sit causa, vel ratio, cur Deus hunc potius, quam alium prædestinauerit ad gratiam & gloriam, vel contra hunc potius, quam alium reprobauerit & reiecerit à gratia congrua, & gloria, tunc sequitur, Deum prædestinando homines & Angelos, in pari causa & conditione eorundem, inæqualiter ad eos se habuisse; adeoque apud Deum esse acceptionem personarum; quod cum sit vitium Iustitiæ oppositum, blasphemum est dicere, & contra Apostolum Roman. 2. v. 11. *Non enim est acceptio personarum apud Deum. Quicumq; enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt; & quicumq; in lege peccauerunt per legem iudicabuntur.* Et Ephes. 6. v. 9. *Scientes quia & illorum & vester Dominus est in caelis: & personarum acceptio non est apud eum.* Et Coloss. 3. v. 35. *Qui iniuriam facit, recipiet id, quod inque*

gestis, & non est personarum acceptio apud Deum. Et Pet. 1. v. 17. *Et si patrem inuocatis eum, qui sine acceptione personarum iudicatur secundum vnus cuiusq; opem, in timore inuolatus vestri tempore conuersamini.*

Respondetur cum S. Thoma hic quæst. 23. art. 5. ad 3. Acceptionem personarum locum habere solum in distributione eorum, quæ ex Iustitia alijs debita sunt, non autem in gratuitis, quæ mera liberalitate donantur, vt sunt dona gratiæ diuinæ. *Neg enim propter hoc, inquit S. Thomas loco citato, est iniquitas apud Deum, si aequalia non inæqualibus præparat. Hoc enim esset contra Iustitiæ rationem, si prædestinationis effectus ex debito redderetur, & non daretur ex gratia. In his vero quæ ex gratia dantur, potest aliquis pro libitu suo dare cui vult, plus vel minus, dummodo nulli subtrahat debitum, iuxta illud Matth. 20. Tolle quod tuum est, & vade.* Eodem modo respondet S. Augustinus lib. de bono perseuerantiæ cap. 8. vbi ait: *Qui ergo liberatur, gratiam aliq; ut qui non liberatur, debitum agnoscat. Si in remittendo debitum bonitas, in exigendo æquitas intelligitur, nusquam esse apud Deum iniquitas inuenitur. Sed cur, inquit, non solum in particularum, verum etiam in geminorum vna atque eadem causa tam diuersimodum dicuntur? Nonne similis quæstio est, cur in diuersa causa idem iudicium? Recolamus ergo illos operarios in vinea, qui tota die laborauerunt, & eos, qui hora vna. Nempe causa diuersa est impensis laboris, & tamen idem iudicium in redditione mercedis. Nunquid & hic audierunt murmurantes à patre familias, nisi, Hoc volo? Ita quippe eius erga alios fuit largitas, vt erga alios nulla esset iniquitas. Et isti quidem vtriq; in bonis sunt: verum tamen ad Iustitiæ spectat & gratiam, potest & de reo, qui liberatur, rectè dici, Volo: potest & de eo qui damnatur. Tolle quod tuum est, & vade: hinc autem volo quod non debetur donare. Et non licet mihi facere, quod volo? an oculum tuum nequam est, quia ego bonus sum? Hic ille si dicat, Cur non & mihi? merito audiet, O homo tu quis es, qui respondes Deo? Quam certè in vno vestrum benignissimum largitorem, in te vero exaltorem iustissimum, in nullo tamen certis iniustum. Cum enim iustus esset, etiam si vtrunque puniret, qui liberatur, habet, unde gratias agat, qui damnatur, non habet, quod reprehendat. Hæc Augustinus, quæ in omni hac materia de prædestinatione diligenter semper præ oculis habenda sunt, vt pote sine quibus omnis alioqui humanæ ratiocinationis curiositas, & elatio, in præcipitium fertur.*

## DVBIVM II.

*An & qua ratione detur causa meritoria totius prædestinationis ex parte Christi, seu generatim extra prædestinatum.*

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 8.

IN præsentem considerationem veniunt, tum Christus, tum etiam alij homines, qui ad prædestinationem aliquid cõferre passè existimentur, extra & præter ipsum prædestinatum, de quo agèdum est dub. 3. & 4.

Assertio I. Christus est causa meritoria principalis omnium effectuum prædestinationis nostræ, qui in nobis peraguntur, præsertim qui velut gratuita Dei munera & auxilia naturæ nostræ ac donis

natu.

Naturalibus accedunt. Ita iuxta S. Thomam 3. p. quæst. 24. artic. 4. habet communis Doctorum sententia, vt testatur Gregorius de Valentia hic quæst. 23. punct. 4. §. 1. saltem in communi loquendo & abstrahendo à particularibus controuersijs, an hi vel illi effectus, qui ex diuina prouidentia peraguntur, sint effectus prædestinationis, de qua re actum quæstione præcedenti. Certè si quos in nobis constat esse effectus prædestinationis, non est negandum, eos ex meritis Christi prouenire. Quare cum nos superius quæst. præced. dub. 2. & 3. ipsa etiam bona naturalia, & permissionem peccati suo modo, & ex parte dixerimus esse effectus prædestinationis, libenter concedimus, eos etiam ex meritis Christi proficisci; etsi negent tum illi, qui eos effectus esse, prædestinationis negant, tum de quibusdam donis naturalibus etiam Molina hic quæst. 23. art. 5. disp. 2. tametsi alioqui fateatur, eiusmodi naturalia quædam bona esse effectus prædestinationis. Certior verò est assertio de gratuitis illis Dei donis, quæ naturæ ac naturalibus bonis superueniunt, vt dictum. Neque enim vllò modo audiendi Capreolus in 3. distinct. 18. quæst. vnic. artic. 3. Ferrariensis 4. contra gentes cap. 55. Adamus Sasbout in 1. cap. ad Philipp. sub finem, item Driedo & Sonnius inferius eitandi, dum asserunt, fidem, & alias dispositiones ad iustificationem, non ex meritis Christi, sed ex sola Dei voluntate nobis concedi: qui meritò reseruntur à Molina loco cit. & Vasquez disput. 94. cap. 1. & 5. & in materia de Incarnatione ex instituto referendi sunt.

Ratio assertionis est. Quia cum de fide sit, Christum esse causam meritoriam Iustificationis nostræ, atque adeo ipsius etiam consecutionis vitæ æternæ, vt constat ex Concilio Tridentino, sessione 6. cap. 7. & can. 3. nulla est ratio, cur negetur, esse causam meritoriam omnium etiam aliorum effectuum prædestinationis minus principalium. Accedit, quod Christus est causa vniuersalis nostræ salutis & redemptionis; ergo etiam effectuum omnium ad nostram salutem speciatim ordinatorum, seu ex efficaci intentione salutis nostræ prodeuntium.

Assertio II. Christus est causa meritoria omnium effectuum prædestinationis, etiam eorum, qui extra ipsum prædestinatum peraguntur, saltem exceptis particularibus quibusdam meritis & operibus ipsius Christi, ex speciali eiusdem intentione, efficaciter huic vel illi prædestinato applicatis. Sumitur ex S. Thoma 3. p. quæst. 24. artic. 4. Caietano, & Thomistis recentioribus ibidem, Alensi 3. p. quæst. 3. memb. 5. Bonauentura in 3. distinct. 11. art. 1. quæst. 3. Alberto dist. 10. art. vlt. Richardo art. 4. quæst. vlt. Durando quæst. 3. Paludano quæst. 1. art. 3. qui omnes absolute docent, Christi prædestinationem esse causam nostræ prædestinationis, & loquuntur in primis etiam de causa meritoria. Eandem assertionem supponunt Suarez lib. 2. de prædestinat. cap. 24. & Vasquez disput. 94. cap. 2. & alij recentiores communiter, abstrahendo tamen itidem à particularibus controuersijs, an omnia auxilia seu media extrinseca salutis nostræ sint effectus prædestinationis.

Excipio Durandum in 3. distinct. 11. quæst. 3. Franciscum Sonnum lib. 2. demonst. Euang. tract. 3.

cap. 19. Molinam quæst. 23. art. 5. disp. 2. & Gregorium de Valentia hic quæst. 23. punct. 4. §. 1. qui cum sentiant, ipsius quoque Christi Incarnationem & merita esse effectus prædestinationis, consequenter negant, Christum promeritum esse nobis omnes effectus prædestinationis, qui extra nos peraguntur; de quo ferè sola nominis quæstio est, vt bene etiam Vasquez disputatione 94. numero 37. Sed quia nos contrarium supponimus ex dictis supra quæstione 2. dub. 1. ideo rectè vniuersim pronuntiamus, Christum esse causam omnium effectuum prædestinationis nostræ; quod magis consonum est antiquis Theologis, Ratio sumitur ex præced. assert.

Dixi tamen, exceptis saltem particularibus Christi meritis, & c. quia hoc ipso quod cit. quæst. 2. dub. 1. diximus cum Suarez, particularia huiusmodi merita probabiliter esse etiam effectus prædestinationis eius, cui fuerunt à Christo particularim applicata, fieri non potest, vt Christum omnes omnino effectus prædestinationis sit promeritus; quia ea ipsa merita Christus non est promeritus, vt quoad hoc rectè docent citati Doctores: alioquin & ipsam Incarnationem seu vnionem hypostaticam, ex qua merita Christi suam vim trahunt, fuisset promeritus, quod tamen dici non potest, vt suo loco de Incarnatione docetur. Quocirca necessariò fatendum est, Christum non meruisse omnes effectus prædestinationis respectu talis prædestinati, cuius quædam eiusmodi opera efficaciter & particulatim applicauit: quod singulare est, & quasi præter communem regulam.

Assertio III. Christus non solum promeruit effectus prædestinationis nostræ modo explicato, sed etiam ipsam eiusmodi effectuum prædestinationem; seu quod idem est, liberam determinationem diuinæ voluntatis ad eiusmodi effectus conferendos. Hæc assertio est contra Almainum in 3. d. 19. quæst. 1. Maiorem ibid. quæst. 1. Adamus Sasbout comment. epist. ad Ephes. in illud cap. 1. *Sicut elegit nos in ipso*, item contra Sonnum loc. cit. & Driedonem de capt. & redempt. gen. human. tract. 2. cap. 2. p. 3. a. 4. & tract. 4. p. 2. cap. 8. memb. 3. Sed est ex mente authorum, quos citauimus pro præced. assertione, dum absolute ferè asserunt prædestinationem Christi esse causam prædestinationis nostræ. Idem expressè docent Vega lib. 4. in Trident. cap. 5. Viguerius Institut. Theol. cap. 20. §. 8. v. 3. Eckius in Chrysostaso centur. 3. num. 34. Suarez hic lib. 2. de prædestin. cap. 22. & 24. num. 12. & 38. & 3. p. tom. 1. d. 41. sect. 4. Gregorius de Valentia hic q. 23. punct. 4. §. 1. Molina q. 23. a. 5. disp. 2. Vasquez disp. 91. num. 2. & disp. 94. cap. 2. 3. & 4. præfertim num. 34. qui propterea concedunt, Christum esse causam meritoriam nostræ prædestinationis, etiam aliquo modo ex parte ipsius actus, non quod promeruerit ipsam entitatem actus prædestinationis, seu etiam ipsum actum æternum prædestinationis absolute, sed solum quatenus refertur ad creaturas: tametsi plerique Scholastici veteres ita soleant distinguere, vt negent causam prædestinationis ex parte ipsius actus, concedant verò ex parte obiecti, vt videre est apud Albertum & Bonauenturam, Richardum, Durandum, & alios in 1. dist. 41. & Gandauensem quodlib. 4. quæst. 19.

6 Quomodo etiam loquitur S. Thomas loco cit. & hic quest. 23. art. 5. ubi ait: *Cum prædestinatio includat voluntatem, ut supra dictum est, sic inquirenda est ratio prædestinationis, sicut inquiratur ratio diuinæ voluntatis. Dicitur est autem supra, quod non est assignare causam diuinæ voluntatis ex parte actus volendi; sed potest assignari ratio ex parte volitorum; in quantum scilicet Deus vult esse aliquid propter illud. Nullus ergo fuit ita insana mentis, qui diceret, merita esse causam diuinæ prædestinationis, ex parte actus prædestinantis. Sed hoc sub questione vertitur, utrum ex parte effectus prædestinatio habeat aliquam causam. Et hoc est querere, utrum Deus præordinauerit se daturum effectum prædestinationis alicui propter merita aliqua. Ita S. Thomas: quem imitati sunt etiam alij Scholastici, ut dictum.*

7 Sed qui reuera positæ assertioni minimè aduersantur. Nam ut benè notauit Suarez loco cit. duobus, aut potius tribus modis intelligi potest, ex parte ipsius actus prædestinantis, nullam dari causam prædestinationis. Primò, ut actus prædestinationis secundum se & suam entitatem absolutam spectetur; quatenus nimirum à parte rei idem planè est, quod essentia diuina: & hac ratione certum est, nullam eius causam dari, nec æternam, nec temporalem, non magis quam ipsius essentia diuinæ, quæ penitus, ut ita dicam, infactibilis & incaufabilis est; ita quidem ut nec vlla ratio eius obiectiua prior assignari possit, cur sit & quare sit: est enim Ens ex seipso vnde quaque necessarium, primum & independens, ut disp. 2. q. 1. dictum.

Secundò ita intelligi potest, ut actus prædestinationis non accipiatur quidem nudè secundum suam entitatem & quasi materialiter, sed potius formaliter, ut per modum actus vitalis tendit & terminatur ad sua obiecta; causa tamen vocabulum accipiatur propriè & strictè, pro causâ realiter influente: & hoc modo itidem certum est, nullam dari causam prædestinationis; quia nec obiectum diuini actus, nec quicquam siue in Deo, siue extra Deum realiter influit, aut vllam causalitatem veram & realem exercet in actum internum, seu volitionis, seu intellectus Dei: quia alioquin saltem secundum tendentiam illam suam vitalem in obiectum, esset Ens realiter causatum, & ab alio dependens; ac proinde nec esset Deus; quod tamen repugnat dictis supra, quest. 8. & 10. dub. 1.

8 Tertio verò accipi potest prædestinatio formaliter secundum tendentiam ad obiecta, & causâ latè, prout dicit quamcunque rationem vel conditionem obiectiua: & sic nil obstat, quo minus detur causâ prædestinationis, seu electionis & dilectionis diuinæ, ex parte quoque ipsius actus diuini; non quidem secundum suam absolutam entitatem spectati, ut dictum, sed ut liberè terminatur ad hoc vel illud obiectum: quandoquidem hac ratione vniuersim docuimus supra q. 10. dub. 5. dari aliquam rationem diuinæ voluntatis; & rectè dici, Deum velle hoc, propter illud: tamen Valquez, quia ut ibidem vidimus, contrarium docuit, etiam in hac ipsâ re locis cit. aliter loquitur, & solum admittit causam & rationem assignari posse actus prædestinationis, secundum relationem rationis, qua refertur ad obiecta, hoc sensu, non ut dicamus merita Christi, aut etiam aliquid, per modum finis, præter ipsius Dei

bonitatem, esserationem, ut velit nos prædestinare, sed solum esserationem, ob quam esse velit effectus nostræ prædestinationis. Sed nos, ut citata quest. 10. dub. 5. generatim probauimus, dari rationem aliquam obiectiua ipsius diuinæ voluntatis, ita in præsentem etiam materia absolutè dicimus, merita Christi esse rationem quandam obiectiua prædestinationis nostræ, quatenus ad omnes effectus nostræ prædestinationis terminatur, ut dictum.

Fundamentum autem eius assertionis esse debet. Quia merita Christi, saltem vt abstrahunt ab eius passione & morte, sunt priora in diuina prædestinatione, nostra prædestinatione, ut dicemus questione sequent. dub. 7. Ergo ut præuisa potuerunt esse, nostro modo concipiendi; causâ seu ratio ipsius prædestinationis nostræ: Ergo re ipsa ita factum est; cum hoc sit dignitati Christi valde consentaneum. Neque enim ad id plus requiritur, quam ut Deus prædestinando respexerit ad Christi merita, veluti secundum diuinam prædestinationem priora nostra prædestinatione. Idem satis expressè docet Apostolus Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipso (Christo) ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ.* Quocirca etiam Valquez cit. disp. 94. & quidam alij, non dubitant dicere, hanc esse doctrinam fidei: quod tamen Suarior non probatur; maxime si loquamur de prædestinatione nostra respectu omnium effectuum; in quibus, ut dictum, nonnulli ipsa etiam merita Christi collocant.

10 Assertio IV. Tametsi quidem Christus, modo explicato, sit causâ meritoria Electionis nostræ, etiam in particulari spectatæ, ut est absoluta & efficax horum vel illorum dilectio seu destinatio ad gratiam & gloriam: attamen si loquamur de Electione comparatiuè, ut est electio aliquorum præ alijs, seu vt est huius, vel illius potius, quam aliorum; adeoque si loquamur de ipsâ libera determinatione diuina ad hos potius, quam ad alias personas prædestinandas, verius est, si propriè loquendum sit, electionis ita spectatæ, causam ex parte Christi nullam assignari posse; sed eam solum referendam in ipsum diuinæ voluntatis beneplacitum. Ita Suarez hic lib. 2. cap. 24. num. 12. & 2. r. et Valquez disp. 94. cap. 3. & quidam alij quoad posteriorem partem oppositum doceant. Prima pars supposita præced. assert. est extra controuersiam; neque enim quisquam negat, aut negare potest, Christum esse causam meritoriam nostræ electionis absolutè spectatæ, nisi qui negat, esse causam prædestinationis nostræ: cum electio & prædestinatio non solum ex parte effectus, sed etiam ex parte Dei, secundum durationem & entitatem suam idem quodammodo sint, & par sit ratio vtriusque. Idem vel maxime patet ex illo cit. Ephes. 1. *Elegit nos in ipso, &c.*

Quoad secundam partem, ut dictum, controuersia est: sed rursus solum de nomine & modo loquendi; ut rectè etiam notauit Suarez lo. cit. in quo tamen magis probatur id quod in assertione diximus. Tum quia electio sic spectatæ ita vnius dilectionem significat, vt vltimè etiam connotet & includat desertionem

alterius; cuius tamen Christi merita causa non sunt. Tum quia, ut fatetur Vasquez num. 21. Christus non fuit causa electionis ita relatè consideratè Sanctorum veteris Testamenti; quorum tamen in proposito non videtur diuersa ratio à Sanctis noui Testamenti, ut rectè etiam Suarez. Tum quia merita Christi, ut ratione antecedentia nostram prædestinationem, ex se erant causa vniuersalis, & quasi indifferens prædestinationis; nec minus apta ad prædestinationem huius, quam illius, aut omnium, quam aliorum. Quare ex vi illorum meritorum, potuisset Deus homines ad beatitudinem efficaciter ordinare; nullam electionem inter eos faciendò; sed aut omnes efficaciter prædestinando; aut omnes solum sufficiens ordinando ad gloriam. Ergo determinatio facta est ab ipso Deo, pro eius benedictio.

Quod etiam declarat ex exemplo simili testatoris: qui si præcipiat heredi, ut centum virgines in matrimonio elocet; clarum quidem est, ipsam elocationem etiam in particulari spectatam, ut est talium virginum, esse effectum testamenti; at tamen elocationis harum potius, quam illarum, causa est in sola voluntate heredis posita. Denique idem est etiam admodum consentaneum doctrinæ S. Augustini & S. Thomæ, dub. præsentis expositæ, cum dicunt, nullam posteritatem reddi, cur hic potius, quam ille sit prædestinatus: posset enim aliqui eius rei reddi ratio saltem ex parte meritorum Christi; quia ipse vni potius, quam alteri promeritus fuisset prædestinationem.

12 Nec obstat, quod Christus efficaciter non nunquam orauit pro his prædestinatis in indiuiduo; eosque proinde voluit efficaciter; ex vi meritorum suorum saluari; ut colligitur ex Ioan. 17. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi.* Tum quia hæc voluntas ex ipsa intentione Christi est posterior electione & determinatione Dei, & ab ea dependens; ideo enim ita efficaciter pro his vel illis orauit Christus; quia hos vel illos iam antea vidit à Deo prædestinatos. Tum quia si in particulari pro quibusdam ita orauit, iam talis oratio est effectus prædestinationis ad gloriam eorundem prædestinatorum, ut dictum dub. præcedent. ac proinde tales etiam ex hoc capite prius electi sunt ad gloriam, quam am intelligantur menti diuinæ talia merita Christi representata, ut actu quandoque futura; iuxta generalem doctrinam sequenti quæstione tradendam, electionem ad gloriam priorem esse prædestinationem mediorem, respectu vniuersi cuiusque prædestinati. Qui verò contrarium asserunt, in æquiuoco laborant, ac verbis potius, quam re ipsa dissentiant: nec eorum argumenta plus probant, quam electionem quoque ipsam absolute factam fuisse ex meritis Christi, etiam singulorum in particulari; sed non ita, ut merita Christi causa essent, cur hi potius, quam illi eligerentur; eum pari ratione, quantum est ex meritis Christi, alij potius, quam isti eligi à Deo potuissent, ut in simili dictum dubio præcedenti.

13 Assertio V. Nullus homo purus secundum legem Dei ordinariam est, aut potest esse causa meritoria omnium effectuum prædestinationis alterius hominis, nec etiam ipsius prædestinationis in se, quo-

ad absolutum decretum dandi gloriam. Hæc est doctrina S. Thomæ hic quæst. 23. artic. 8. vbi ait: *In prædestinatione duo sunt consideranda, scilicet ipsa prædestinatio diuina, & effectus eius. Quantum ad primum, nullo modo prædestinatio iniuratur precibus Sanctorum. Non enim precibus Sanctorum fit, quod aliquis prædestinetur à Deo. Quantum verò ad secundum dicitur prædestinatio iniurari precibus Sanctorum, & alijs bonis operibus. Quia prouidentia, cuius prædestinatio est pars, non subtrahit causas secundas: sed sic prouidet effectus, ut etiam ordo causarum secundarum subsistat prouidentie. Et paulò post addit: sub ordine prædestinationis cadere, quicquid hominem promouet in salutem, vel rationes proprias, vel aliorum, vel alia bona, vel quicquid huiusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur.* Quibus verbis S. Thomas posteriorem assertionis partem expressè tradit, priorem verò hoc ipso docet, quod inter effectus prædestinationis vniuersi cuiusque numerat etiam preces aliorum, quibus ad salutem promouetur. Eadem est sententia Durandi in 1. dist. 4. r. quæst. 3. num. 4. & communis Thomistarum cit. art. 8. quam tueri pluribus Suarez hic lib. 2. de prædestin. cap. 24. num. 2. etsi Vasquez disp. 94. cap. 5. quoad vtramque partem contrarium sentiat, ratus etiam alios posse esse, vel dici causam suo modo, ac seruata proportione, omnium effectuum nostræ prædestinationis, ac ipsius etiam liberæ determinationis diuinæ, ad nos prædestinatos. Quam sententiam Suarez loc. cit. vocat nouam ac singularem: quamuis quoad priorem partem controuersia sit potius de nomine, quam de re ipsa, ut bene etiam notauit Vasquez num. 36.

14 Ratio primæ partis, de omnibus effectibus prædestinationis, &c. sumitur ex dictis: quia ipsa quoque eiusmodi merita seu preces alterius, alicui speciatim applicatæ, sunt effectus prædestinationis eius, cui ita efficaciter profunt ad salutem, ut dictum quæst. præced. dub. 1. etsi contrarium supponat Vasquez ex dictis ibidem: nec verò iuxta legem Dei ordinariam efficaciter prædesse alijs possunt, saltem ad quosdam effectus prædestinationis, ut est gratia congrua; nisi aliquo modo speciatim applicatæ. Quod si B. Virgo, aut alius Sanctus, efficaciter orasset Deum pro omnibus prædestinatis subsecuturis, aut vnâ secum viuentibus, ad gratiam & gloriam illis impetrandam, nec tunc tamen omnium effectuum prædestinationis aliorum causa meritoria fuisset; quandoquidem inter effectus prædestinationis aliorum fuissent illæ ipsæ preces, saltem generatim, alijs ita applicatæ.

15 Dices. Deus potuit B. Virginem, aut alium Sanctum ea prærogatiua aut excellentia honoris afficere, ut eius merita velle esse causam vniuersalem meritoriam omnis boni, omnibus prædestinatis conferendi, etiam sine alia speciali applicatione; quo pacto merita eiusdem Sancti non magis fuissent effectus prædestinationis eiusdem Sancti, quam merita Christi. Respondeo, hoc argumento rectè probari, secundum absolutam Dei potentiam nihil obstare, quo minus ita fieri potuisset: sed ita factum esse, non probatur: etsi potius, quam verè ita quidam de B. Virgine loqui videantur, de qua rein 3. parte plura.

16 Secunda pars de ipsa prædestinatione probatur

primum autoritate. Ita enim satis apertè docet S. Augustinus lib. de bono perseuer. cap. 22. cum ait: *si qui sunt nondum vocati, pro eis, ut vocentur, oremus; forsasse etiam sic prædestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur.* Vbi apertè non propter orationes, sed vt orationibus iuuentur, prædestinati dicuntur: sunt ergo orationes effectus prædestinationis aliorum, non causa. Eodem modo loquitur S. Gregorius lib. 1. dialog. cap. 8. vbi docet, prædestinationem iuari precibus Sanctorum; non quia oratio sit ratio vel causa prædestinationis, sed quia, inquit, *ipsa quoque perennis regni prædestinatio est ab omni potestate Deo disposita, ut ad hoc electi pro labore perueniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis Deus ante secula dare disposuit.* Vbi rursum preces inter effectus prædestinationis referuntur.

17 Denique B. Prosper lib. 2. de vocat. gent. cap. penult. aliàs vlt. *Deus ergo, inquit, ijs quos elegit sine meritis, dat unde ornetur et meritis. Et frustra dicitur, quod ratio operandi non sit electis, cum ad hoc operentur, ut electi fiant; hoc est, tales, quales per electionem præfinita sunt.* Et infra: *Quamuis ergo quod statuit Deus, nulla post rationem fieri, studia tamen non tolluntur, grandi, ne per electionis propositum liberi arbitrij studium relaxatur: cum implenda voluntatis Dei, ita sit præordinatus effectus.* Fauet etiam illud Ephes. 1. *Prædestinati secundum propositum eius, non ob preces aliorum, &c.*

Ratio est. Tum quia nos ipsi non sumus causa meritoria nostræ prædestinationis ad gloriam, vt dicitur dub. 5. & quæst. seq. dub. 4. cum tamen interim gloriam ipsam vtique promereamur. Tum quia vniuersim prædestinatio mediocum, quibus quisque iustus saluabitur, non est ratione prior, sed posterior prædestinatione ad gloriam, vt eodem dub. 4. patebit. Cum ergo meritum tale sit effectus prædestinationis illius, cui quis promeretur gratiam, &c. adeoque posterior ipsa prædestinatione, fieri non potest, vt sit causa meritoria eiusdem prædestinationis.

18 Quod autem pro contraria sententia dicitur, ad hoc, vt aliquid dicatur meritoria causa prædestinationis ad aliquem effectum, satis esse, quod sit causa ipsius effectus, seu quod Deus decreuerit conferre effectum tali causa mediante, in super etiam ex eo refellitur: quia sic quoque B. Virgo, & Patres veteris Testamenti dici possent meruisse, aut impetrasse prædestinationem Christi Domini, & electionem humanitatis illius ad vnionem hypostaticam, ad cuius executionem varijs modis ipsi contulerunt: id quod tamen dici non potest, vt veluti certum supponit S. Augustinus lib. de prædest. Sanct. c. 24. Requiritur ergo, vt meritum sit causa & ratio quædam obiectiua, prior in mente diuina, ob quam Deus hoc vel illud prædestinauerit.

Dices; Qui meretur, vt aliquis sibi vel alteri quippiam conferat, meretur etiam, vt is velit seu decernat illud conferre. Ergo etiam qui meretur sibi aut alteri vitam æternam, meretur etiam, vt Deus velit sine decernat illam conferre: Ergo meretur prædestinationem eiusdem effectus. Respondeo negando postremam consequentiam. Satis enim est, quod mereatur, vt Deus decreto executiuo veliteum effectum conferre, quod libenter concedimus. Aliud est autem decretum prædestinationis, vt dicitur quæst. seq. dub. 3. 4. & 5.

Assertio VI. Possunt tamen homines etiam mortales suis meritis & precibus conducere efficaciter ad executionem prædestinationis aliorum, respectu quorundam effectuum. Ita S. Thomas cit. quæst. 23. artic. 8. & communis omnium Doctorum; quam expressè etiam tradunt Patres, præsertim Augustinus, Gregorius, Prosper locis citatis assertione præcedenti. Ratio sumitur ex dictis. Quia etiam si Deus ratione prius prædestinauerit homines, quam præuiderit eiusmodi media, non tamen destinavit exequi sine subordinatis medijs, sed potius per ipsa media, vt ex S. Augustino, Gregorio, & Prospero dictum. Inter hæc vero media ad salutem cuiusque efficaciter conducere posse aliorum preces & merita, non ita quidem, vt quisque alijs etiam de condigno mereri gratiæ auxilia possit, sed de congruo, aut certè etiam sine merito impetrare, suo loco in 3. part. ex instituto docetur, & de fide est, ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. & sess. 25. decreto de Inuocat. Sanctorum.

## DVBIUM III.

*Quenam contra varias hæreses certa sint circa causam meritoriam Prædestinationis, ex parte prædestinati.*

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 5.

SVppositis ijs, quæ dubio 1. & 2. de causa Prædestinationis tum finali ex parte Dei, tum meritoria ex parte Christi diximus, grauis nunc est controuersia, de causis prædestinationis ex parte ipsius prædestinati. Nec est controuersia de causa materiali siue subiectiua effectuum prædestinationis. Constat enim ex dictis quæstione præcedenti, ipsum prædestinatum esse subiectum omnium pene effectuum prædestinationis; exceptis nimirum ijs, qui vel sunt ipsamet substantia, & existentia prædestinati, vel extra prædestinatum peraguntur. Sed nec de causa efficiente difficultas est; quando similiter ex dictis ibidem constat, prædestinatum esse non quidem omnium, sed plurimorum tamen causam efficientem; vt suis locis in specie de singulis declaratur, & rectè persequitur Gregorius de Valentia hæc quæstione 23. punct. 4. §. 1. Neque etiam de causa finali sermo est; siquidem constat etiam, ipsum prædestinatum esse aliquo modo finem Cui, minus saltem principalem, eorum effectuum, qui esse naturale ac existentiam prædestinati supponunt: qua ratione etiam inferius dub. 4. dicemus, inter ipsos effectus prædestinationis mutuo vnum esse alterius causam.

Est ergo solum quæstio de causa morali aliquo modo mouente, an videlicet ex parte ipsius prædestinati detur causa vel ratio aliqua moralis, vilo modo motiua, seu per modum alicuius meriti, seu impetrationis, seu dispositionis, aut causa, sine qua non, seu conditionis remouentis obicem,

siue ipsius prædestinationis in se, vt terminatur liberè ad omnes suos effectus; aut saltem omnium effectuum prædestinationis: & quæstio quidem propriè solum est de effectibus prædestinationis, supponentibus existentiam & esse naturale ipsius prædestinati, qui propriè ac per se ad ordinem supernaturalem pertinent. Nam quod ad esse naturale ipsius prædestinati attinet, nec Catholicorum, nec hæreticorum vllus asseruit dari eius causam seu rationem motiuam ex parte prædestinati. In ordine autem supernaturali cum primus effectus sit gratia præueniens congrua, electorum propria, cui videlicet infallibiliter annexitur tum cooperatio, tum perseverantia finalis, idcirco omnis quæstio ad hunc ferè statum reuocatur, detur ne in adultis causa seu ratio prædestinationis ad gratiam congruam, per quam discernuntur electi à non electis.

3. Quæ controuersia partim Catholicis intercedit cum hæreticis, partim etiam est inter ipsos per se Catholicos; sed diuersimodè. Primò enim cum hæreticis controuersia est de prædestinatione tam paruulorum, quam adultorum, vt videbimus: inter Catholicos autem non nisi de adultorum prædestinatione controuertitur. In paruulis enim ipsis fatentur Catholicis omnes; non posse vllam causam motiuam prædestinationis quoad vllum effectum assignari.

Secundò cum hæreticis quibusdam controuertitur, an denur meritum etiam de condigno totius prædestinationis; seu omnium ipsius effectuum: cum Catholicis autem non item, vt dicemus.

4. Tertio quidam hæretici negant, dari vllam omnino causam seu rationem, ex parte liberi arbitrii ipsius prædestinati, illius omnino effectus prædestinationis; quandoquidem liberum hominis arbitrium penitus negant & è medio tollunt, vt inferius dicitur: quod Catholicorum nemo facit. Vt autem ordinatè procedamus, ipsaq; tractatio magis sit perspicua, hoc dubio solum agemus de erroribus hæreticorum, qui circa prædestinationis causam, aut fuerunt olim, aut nunc etiam existunt; vt eorum refutatione tanquam fundamento supposito, ea que cum Catholicis controuersa sunt, dubio sequenti facilius diiudicemus.

Primus igitur error hac in re, fuit olim Manichæorum, seu Genethiacorum quorundam (Venditorem etenim Astrologiæ fuisse etiam Manentem constat ex Augustino lib. 5. confess. cap. 7.) qui cum negarent in nobis liberum arbitrium, totam causam nostræ prædestinationis & beatitudinis retulerunt in certum corporis temperamentum, ex certa astrorum dispositione proueniens; quem errorem Augustinus lib. 1. ad Simplicianum q. 2. ex Apostolo Rom. 9. v. 10 refutat & damnat. Augustini verba loc. cit. sunt: [Sed & Rebecca ex vno concubitu habens Isaac patris nostri. Vigilantissime ait (Apostolus) Ex vno concubitu: gemini enim concepti erant, ne vel paternis meritis tribueretur, si quisquam forte diceret, ideo talis natus est filius, quia pater ita erat affectus illo tempore, quo eum seuit in vtero matris; aut ita erat mater affecta, cum eum concepit. Simul enim ambos vno tempore ille se-

uit, eodem tempore illa concepit. Ad hoc commendandum ait, Ex vno concubitu: vt nec Astrologis daret locum, vel eis potius quos Genethiacos appellauerunt, qui de natalibus nascentium mores & euenta coniectant. Quid enim dicant, cur vna conceptione, sub vno vtiq; temporis puncto, eadem dispositione cæli & siderum, vt diuersa singulis annotari omnino non posset, tanta in illis geminis diuersitas fuerit, prorsus non inueniunt: & facile animaduertunt, si volunt, responsa illa, quæ miseris venditant, nullius artis expositione, sed fortuita suspicione proferri.

Secundus, & priori non absimilis est error Caluini, lib. 2. Inst. cap. 3. & lib. 3. cap. 21. sect. vlt. & cap. 22. qui similiter sublato libero hominis arbitrio, non quidem in astrorum dispositionem, sed in æternum diuinæ voluntatis decretum, omnem prædestinationis causam ita reiecit, vt nullum libero arbitrio locum, in ordine ad vllum prædestinationis effectum, relinquat; nec adeo admittat vllam causam seu rationem, ex parte liberi arbitrii ipsius prædestinati, vllus effectus prædestinationis. Cui errori modo aliquo affines sunt etiam Lutherani Confessionista, qui solum concedunt homini liberum arbitrium, seu libertatem, ad efficiendam ciuilem Iustitiam, & delendas res rationi subiectas, sed non ad efficiendam Iustitiam Dei, seu Iustitiam spiritualem, vt colligitur ex Confessione Augustana, eiusq; apologia art. 18. Idque etiam multò clarius docent in libro Concordiæ in repetitione & declaratione articulorum, de quibus controuersia orta est inter Theologos Augustanæ Confessionis, art. 2. de libero arbitrio, vbi dicitur: *Contra vtriusque partis errores & corruptelas sinceri Confessionis Augustanæ Doctores asseruerunt, hominem ex lapsu primorum nostrorum parentum ita penitus corruptum esse, vt in rebus spiritualibus, quæ ad conuersionem & salutem nostram spectant, talis sit, vt dicitur, cæcior: ita vt Verbum DEI prædicatum neque intelligat, neque intelligere possit, sed illud vt rem stultam iudicet. Docuerunt etiam, quod homo nunquam à seipso ad Deum appropinquet, sed potius hostili animo aduersus Deum sit, atque eam inimicitiam erga Deum in corde suo foueat, donec virtute Spiritus sancti, per Verbum prædicatum, ex mera gratia, sine omni sua cooperatione (nota errorem) conuertatur, fide donetur, regeneretur atque renouetur. Qui error ex instituto refutandus est in materia de gratia: hic satis est scire ac supponere, eum tanquam hæreticum damnatum esse in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 5. & 6. & Can. 4. vbi dicitur: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam Iustificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire si velit, sed veluti manime quoddam nihil omnino agere, mereque passivè se habere, anathema sit.* Perspicua sunt aduersus hunc errorem Scripturæ testimonia. Nam cum Zachariæ 1. v. 3. dicitur: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, liberati nostræ admonemur,* inquit Concilium Tridentinum cit. cap. 5. Nec minus 1. Reg. 7. vers. 3. perspicue dicitur: *Præparate corda vestra Domino.* Et rursum Prouerb. sedecimo vers. primo. *Homini est animam præparare: & Domini gubernare linguam.**

6 Tertius error fuit Origenis, qui, ut refert S. Thomas hic art. 5. dicit causam prædestinationis fuisse merita, quæ in priorè vita, ac in altero seculo præcesserant. *Postquam enim ille, inquit S. Thomas, animas humanas ab initio creatas, & secundum diuersitatem suorum operum diuersos status eas sortiri in hoc mundo. Quo modo etiam Origenis errorem referunt, non solum cæteri Scholastici communiter, sed etiam Euphianus in Panario, & in epist. ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanam.*

Apertè quoque S. Hieronymus epist. 59. ad Autim. ubi Origenem in libris peritarchon scripsisse ait, rationabiles creaturas, & negligentiam ad terrena corpora esse delapsas. Et rursum: arbitrari se, sua sponte alios esse in numero sanctorum & ministerio Dei, alios ob culpam propriam de sanctimonia corruentes in tantam negligentiam corruisse, ut etiam in contrariis fortitudines vertentur rursus, nasci ex fine principum, & ex principio finem; & ita cuncta variari, ut & qui nunc homo est, possit in alio mundo demon fieri; & qui demon est, & negligentius egerit, in crassiora corpora relegatur, id est, ut homo fiat. Sicque permiscet omnia, ut de Archangelo possit diabolus fieri, & rursus diabolus in Angelum reuertatur. &c. Ipsosque demones ac rectores tenebrarum, in aliquo mundo vel mundi, si uoluerint ad meliora conuerti, fieri homines, & sic ad antiquum redire principium: ita dixit, ut per supplicia atque tormenta, quæ vel multo, vel breui tempore sustinuerint, in hominum e-ruditio corporibus, rursus ueniant ad Angelorum fastigia. Solem quoque & lunam, & astra cætera, esse animantia; imo quomodo nos homines ob quædam peccata hic sumus circundati corporibus, quæ crassa sunt & pigra, sic & calumniaria, talia vel talia accepisse corpora, ut vel plus vel minus luceant; & demones ob maiora delicta æter corpore esse uestitos. Et mox refert S. Hieronymus, Origenem innumerabiles mundos sibi serie quadam, continua succedentes assignasse, &c.

7 Ex quibus satis testatum redditur, Origenem ei, quem diximus, errorem reuera fuisse obnoxium, et si Vasquez hic disp. 91. num. 6 dicat, Hieronymum eum errorem Origeni nulli tribuere: quin imò etiam ab hoc errore Origenem absolute liberum pronuntiet Picus Mirandulanus in Apolog. conclus. 7. & subdubiter Eckius in Chrysofallo centur. 2. nuu. 27.

Cæterum hanc opinionem, inquit S. Thomas cit. art. 5. (seu potius errorem, cuiuscunque sit) explodit Apostolus Rom. 9. dicens (scilicet de Jacob & Esau; hoc reprobo, illo prædestinato) Cum necdum nati fuissent, aut aliquid egissent boni, vel mali, non ex operibus, sed ex vocante dictum est: quia maior seruiet minori. Accedit quod cap. 1. & 2. Genes. hominis creatio & formatio ex limo terræ, ac simul inspiratio animæ uiuentis ita refertur, ut non solum nulla id præuisa animæ humanæ culpa factum fuisse intelligatur, sed potius magna Dei Creatoris erga hominem beniuolentia ac dignatione; qui hominem protinus uelut innocentem, optimo loco paradisi constituit, omnique felicitate perpetuo beaturus erat, nisi per esum pomi, in hac primam uita, se suamque posteritatem inquinasset; ut proinde signum illud Pythagoricum Origenis manifestè Scripturis aduersetur, nec opus habeat prolixiori refutatione.

8 Quartus error fuit Pelagii, Cælestii, aliorumque

Pelagianorum, qui cum & peccatum originale, & gratiæ Christi necessitatem penitus negassent, & è medio sustulissent, ut uidere est ex Concilio Carthaginensi, epist. synod. ad Innocentium I. & S. Augustino lib. de gestis Pelagii, non admiserunt etiam, prædestinationem seu electionem ad eiusmodi gratiam, sed solum ad gloriam, quam etiam supposita gratia creationis, prædicationis, & præcepti, ex præuisis solum liberi arbitrii condignis meritis, adeoque ob iustitiam solum liberi arbitrii, ex uiribus naturæ profectam, ita factam comminiscabantur, ut nullum, diuinæ gratiæ locum relinquere, sed ad præscientiam illam meritorum omnia referrent, ut testatur S. Augustinus lib. de prædestin. Sanct. cap. 18. ubi Pelagium suam hæresin ita exponem refert: *Præsciebat ergo, ait Pelagius, qui futuri essent sancti & immaculati per liberæ uoluntatis arbitrium, & ideo eos ante mundi constitutionem, in ipsa sua præscientia, quæ tales futuros esse præscieuit, elegit. Elegit ergo, inquit, antequam essent, prædestinans filios, quos futuros sanctos immaculatosque præscieuit; utique ipse non fecit, nec se futurum, sed illos futuros esse præuidit.*

9 Quem errorem continuè Augustinus ibidem apertè Scripturæ testimonio euidenter reuicit: [Intueamur ergo, inquit, uerba Apostoli (Ephes. 1.) atque uideamus, utrum propterea nos elegerit ante mundi constitutionem, quia sancti & immaculati futuri eramus; an ut essemus? Benedictus, inquit, Deus, & Pater Domini nostri Ies. u. Christi, qui nos benedixit in omni benedictione spiritali in caelestibus in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati. Non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus. Nempe certum est, nempe manifestum est; ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans, ut tales per gratiam eius essemus. Ita ergo nos benedixit benedictione spiritali in caelestibus, in Christo Iesu, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate prædestinans nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christum in ipsum.]

10 Deinde quid adiungat attendite: Secundum placitum, inquit, uoluntatis suæ, ne in tanto beneficio gratiæ Dei, placito gloriaremur uoluntatis nostræ. In qua gratificauit nos, inquit, in dilecto filio suo; in qua utique uoluntate sua gratificauit nos. Sic dictum est, gratificauit à gratia, sicut iustificauit dicitur à iustitia. In quo habemus, inquit, remissionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius, quæ abundauit in nos, in omni sapientia & prudentia, ut ostenderet nobis mysterium uoluntatis suæ, secundum bonam uoluntatem suam. In hoc mysterio uoluntatis suæ posuit diuitias gratiæ suæ, secundum bonam uoluntatem suam, non secundum nostram: quæ bona esse non posset, nisi ipse secundum bonam uoluntatem suam, ut bona fieret, subueniret. Cum autem dixisset, secundum bonam uoluntatem suam, subiecit: Quam proposuit in filio, id est, in dilecto filio suo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis sunt, & quæ in terris in ipso; in quo etiam & sortem consecutus sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui uniuersa operatur secundum consilium uoluntatis suæ.

suæ, ut scimus in laudem gloriæ eius. Nimis longum est de singulis disputare.

11 Cernitis autem procul dubio, cernitis, quanta manifestatione Apostolici eloquii defendatur hæc gratia, contra quam merita extolluntur humana; tanquam homo aliquid prior det, ut retribuatur ei. Elegit ergo nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, prædestinans nos in adoptionem filiorum, non quia per nos sancti & immaculati futuri eramus, sed elegit prædestinavitque ut essemus. Fecit autem hoc secundum placitum voluntatis suæ, ut nemo de sua, sed de illius erga se voluntate gloriatur: fecit hoc secundum diuitias gratiæ suæ, secundum bonam voluntatem suam, quam proposuit in dilecto filio suo, in quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum non nostrum, sed eius, qui vniuersa operatur; vsque adeo ut ipse in nobis operetur & velle. Operatur autem secundum consilium voluntatis suæ, ut scimus in laudem gloriæ eius. Hinc est autem, quod clamamus, ut nemo gloriatur in homine, ac per hoc nec in seipso; sed qui gloriatur, in Domino gloriatur, ut scimus in laudem gloriæ eius. Ipse quippe operatur secundum propositum suum, ut scimus in laudem gloriæ eius; utique sancti & immaculati, propter quod nos vocauit, prædestinans ante mundi constitutionem. Ex hoc proposito eius est illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum, quia secundum propositum vocati sunt sancti, & sine penitentia sunt dona & vocatio Dei.] Ita S. Augustinus Pelagianorum errorem debellauit.

Quem & ipse tum pluribus aliis libris infectatus est, ut supra q. 2. dub. 1. dictum, tum ex instituto plura Concilia damnarunt, speciatim Palæstinum, seu Diospolitianum, Carthaginense, Mileuitanum, Can. 5. Arausicanum II. & nouissimè etiam Tridèntinum sels. 6. cap. 1. 6. 7. 8. & can. 2. 3. & 1. in quo dicitur: *si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humane naturæ, vel per legis doctrinam fiunt, absque diuina per se ipsum gratia posse iustificari coram Deo, anathema sit.* Sed & vtrumque illud Pelagianorum fundamentum, quod scilicet neque natura per peccatum originale vitata sit, neque gratiæ vlla ad piè viuendum necessitas, suis locis in 1. 2. ex instituto refutatur, ut in hoc Pelagianorum errore confutando non sit diutius immorandum. Vide Vasquez disp. 89. cap. 4. ubi errores varios Pelagianorum diligenter explicat.

12 Quintus error fuit Semipelagianorum, qui & Pelagianorum reliquias, & Massilienses dicuntur, à Massilia Gallia ciuitate, in qua plures eius sectatores degebant, quorum dux habetur Cassianus tota collat. 13. & lib. 12. de Institutis Cœnob. cap. 11. 12. 13. 14. & affectæ nobiles, tum Vincentius quidam, non Lyriensis ille Monachus, cuius partus est aureus ille libellus de hæresibus, ut rectè etiam Vasquez d. 91. n. 44. sed alius quidam presbyter Gallus, cuius meminit Gennadius de viris illustribus cap. 80. tum Faustus Regiensis, toto lib. 2. & 1. præsertim c. 17. de grat. & lib. arb. ut bene ostendit Vasquez disp. 91. c. 9. an. 50. & disp. 89. cap. 4. quos etiam eo tempore secuti sunt complures Episcopi Gallicani, viri ceteroquin Catholici, & qui nõdum satis perspectà Ecclesiæ sententia, rectè ac bona fide se agere existimabāt.

13 Hi tametsi cum Ecclesia Catholica contra Pelagium conuenirent, quod & peccatum originale, & necessitatem gratiæ ad salutem ac bene operandum agnoscerent; in causâ tamen prædestinationis assignanda bifariam errabant. Primum enim cum assererent, saltem initium rectè operandi esse à nobis, ita ut solis naturæ viribus possimus velle credere, ut oportet ad salutem, & velle sanari, velle iustificari, atque ita petendo & pulsando ex naturæ viribus impetrare & promereri de congruo gratiam iustificationis à Deo; consequenter etiam dicebant, in nobis esse rationem seu causam meritoriam de congruo omnium effectuum prædestinationis, adeoque totius prædestinationis quoad omnes effectus. Cum autem probe scirent, S. Augustinum in suis contra Pelagianos libris, ipsis eorumque sententiæ aduersari, ausi sunt etiam S. Augustini sententiam & doctrinam de gratuita Dei prædestinatione, carpere tanquam superuacaneam & nouam, & pietatis ac virtutis studio aduersam. Ita ad S. Augustinum scripsit S. Prosper Regiensis Episcopus: *[Multi, inquit, seruatorum Christi, qui in Massiliensi vrbe consistunt, in sanctitatis tuæ scriptis, quæ aduersus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni & Ecclesiastico sensui, quicquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti, &c. Hæc enim ipsorum definitio ac professio est, omnem quidem hominem, Adam peccante, peccasse, & neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione saluari; vniuersis tamen hominibus propitiationem, quæ est in Sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam; ut quicumque, ad fidem & ad baptismum accedere voluerint, salui esse possint. Qui autem credituri sunt, quiue in eafide, quæ deinceps per Dei gratiam sitiuanda, mansuri sunt, præcisile ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono sine excessibus esse præuiderit &c.]*

14 Hoc autem propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & reiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis adferre: eò quod in vtramque partem superfluous labor sit, si neque reiectus vlla industria possit intrare, neque electus vlla negligentia possit excidere. Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quam Deus definiuit accidere; & sub incerta spe cursum non posse esse constantem: cum si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit, annitens intentio. Remoueri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præueniat voluntates; & sub hoc prædestinationis nomine, fatalem quandam induci necessitatem; aut diuersarum naturarum dici Dominum conditorem, si nemo aliud possit esse, quam factus sit. Et cum contra eos scripta Beatitudinis tuæ validissimis & innumeris testimoniis diuinarum, Scripturarum instructa proferimus, ac secundum formam disputationum tuarum aliquid etiam ipsi, quo concludantur, adstruimus, obstationem suam vetustate defendunt, ut ea quæ de

epistola Apostoli Pauli Romanis scribentis, ad manifestationem diuinæ gratiæ, præuenientis electorum merita proferuntur; à nullo vniquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, vt nunc sentiantur, affirmant. Cumque vt ipsi ea exponant, secundum quorum velint sensa, deposcimus, nihil se profiteri inuenisse, quod placeat; & de his taceri exigunt, quorum multitudinem nullus attigerit. &c.

15 Et mox explicans B. Prosper eorundem errorem, quod naturalibus viribus gratiam regenerationis consequi possimus, ita ait: Quidam verò horum tantum à Pelagianis semitis non declinant, vt cum ad confitendam eam Christi gratiam, quæ omnia præueniat merita humana, cogantur, ne si meritis reddatur, frustra gratia nominetur; ad hanc conditionem velint vniuscuiusque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia nec existentem, liberi arbitrii, & rationalis gratia Creatoris instituat, vt per discretionem boni & mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum eius possit suam dirigere voluntatem; atque ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur, peruenire per naturalem scilicet facultatem, petendo, quærendo, pulsando, vt ideo accipiat, ideo inueniat, ideo intreat, quia bono naturæ bene vsus, vt ad istam saluantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit peruenire &c. Ac sic, cum in his qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo sint, quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia, priorem volunt obedientiam esse, quam gratiam: vt initium salutis ex eo, qui saluatur, non ex eo credendum sit stare, qui saluat; & voluntas hominis diuinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia humanam sibi subiiciat voluntatem. &c. Vnde quia in istis Pelagianæ prauitatis reliquiis, non mediocri virulentia fibra nutritur, si principium salutis malè in homine collocatur, si diuinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, vt ideo quis adiuuetur, quia voluit, non ideo quia adiuuetur velit, si originaliter malus receptionem boni non à summo bono, sed à semetipso inchoare malè creditur &c. primum quia plerique non putant Christianam fidem hac dissensione violari, quantum periculi sit in eorum persuasione patefacias: deinde quomodo per istam operantem & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium. &c.

16 Et Hilarius Arelatensis epist. ad eundem Augustinum de eodem argumento ita scribit: Consentiunt (*Semipelagiani*) omnem hominem in Adam periisse, nec inde quenquam posse libero arbitrio liberari; sed id conueniens asserunt veritati, vel congruum prædicationi, vt cum prostratis & nunquam suis viribus surrecturis annuntiatur obtinendæ salutis occasio, eo merito, quo voluerint, & crediderint, à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequantur effectum. Cæterum ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quenquam sibi sufficere posse consentiunt: neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita supplicii voluntate vnumquemque; ægrotum velle sanari, &c. Non negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quicquam ipsa iam valeat. Et infra: Ad sum-

17 mum, inquit, fatigatis omnibus nobis, ad id profecturio eorum, vel potius querela conuertitur, consentientibus etiam his, qui hanc definitionem improbare non audent, vt dicant: Quid opus fuit huiusmodi disputationis incerto, tot minus intelligentium corda turbari? Neque enim minus vtiliter sine hac definitione aiunt, tot annis, à tot tractatoribus, tot præcedentibus libris, & tuis, & aliorum, cum contra alios, tum maximè contra Pelagianos, Catholicam fidem fuisse defensam.

Hic ergo primus fuit error Semipelagianorum, circa prædestinationis causam, initium bene operandi esse ex nobis, ac proinde hoc ipsum, veluti meritum quoddam saltem de congruo, causam esse prædestinationis quoad omnes effectus; inter quos scilicet illud ipsum initium bene operandi non recensabant, vt pote non ex gratia Christi, sed solius creationis profectum.

Et tribuitur quidem hic ipse error à Vasco quo disp. 91. cap. 8. S. Chryostomo, multisque aliis Patribus, præsertim græcis; sed quos ex communis sententia meritò ab hoc errore vindicat Suarez lib. 2. de prædestin. cap. 8. Securius quidem aliquando locuti sunt ante exortam Pelagii hæresin, sed aliud vtique non senserunt, quam quod & Apostolus Paulus ipsis optimè perspectus docuit, & Ecclesia Catholica contra Pelagium confirmauit; in id solum intenti, vt & in salutis nostræ procuracione, præter gratiam diuinam, libertatem arbitrii, necessitatemque cooperationis nostræ tuerentur, & augmentum siue accessionem nouæ ac maioris gratiæ ex bono vsu liberi arbitrii, à diuina tamen gratia præuenit & adiuti assererent. Ita Chryostomus homil. 17. in Ioan. & 12. ad Hebr. ait: *Deus nostras non præuenit voluntates, ne nostram teneret libertatem*: nimirum, voluntates nostras ad vnum physicè prædeterminando; prout etiã supra disp. 2. q. 10. dub. 8. Anselmum, & Damascenum cum S. Thoma, interpretati sumus, & bene etiam exposuit Suarez loc. cit. n. 11.

18 Vnde etiam ipsemet Augustinus epist. 106. circa finem absolute pronuntiat, Catholicam Ecclesiam semper hanc doctrinam tenuisse: & cum ei obiecerentur Chryostomus, & quidam alij Patres antiquiores, nunquam admittit, eos suæ sententiæ aduersari; sed potius eos benignè interpretatus est, & aliis eorum testimoniis suam sententiam confirmauit; vt videre est lib. de nat. & grat. cap. 64. & lib. de bono perseuer. cap. 14. 19. 23. & lib. 1. cont. Iulian. cap. 6. & 7. & lib. 2. cap. 6. vbi inter alia dicit, Chryostomum eo tempore securè fuisse locutum in Ecclesia Catholica, quia Pelagiani nondum erant exorti, & à Catholicis rectè intelligebatur. Et lib. de prædestin. Sanct. cap. 14. respondens ad hanc obiectionem ex Patribus: *Quid opus est, inquit, vt eorum scrutemur opuscula, qui priusquam hac hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili questione versari; quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur, unde factum est, vt de gratiæ Dei quid sentirent, breuiter & transitorie attingerent.*

19 Certè si Augustini doctrina tot antiquis Patribus aduersa esset, non bene Celestinus Papa in epistola ad Gallos, confirmando Augustini doctrinam, reprehenderet contradictionem Massiliensium, vt nouitatem perniciosam & contrariam doctrinam Patrum:

neque

neque Concilium Arausicanum itidem approbans Augustini sententiam, in principio & sine canonum diceret, illam sententiam esse acceptam à Patribus: quod item confirmat Vincentius Lirinensis, lib. cont. profanas nouit. cap. vlt. Nec facile denique Concilium Palæstinum, quod refert Augustinus epist. 106. cap. 11. & 12. ita exortam Pelagii doctrinam damnasset, ut etiam sententiam Semipelagianorum antequam esset exorta, pariter dānaret, prout notauit ibid. Augustin.

20 Quia verò tam Pelagianorum, quam Semipelagianorum hic error, de causâ meritoria omnium effectuum prædestinationis, inter cætera eo duplici exemplo à S. Augustino efficaciter reuincitur: primum paruulorum, qui sine vilo suo, sepe etiam absque omni parentum, utpote impiorum & infidelium, merito, baptisimo compotes facti, ex hac vita utique prædestinati decedunt, aliis itidem paruulis, quamuis piorum saepe & fidelium parentum filiis, absque baptisimo decedentibus, adeoque reprobatis: altero adulatorum fidelium, quibus salutaris fidei prædicatio (effectus utiq; prædestinationis) itidem obigit absque omni merito, aliis eiusdem conditionis infidelibus ab eo beneficio exclusis: idcirco Semipelagiani hunc alterum errorē priori errori adiecerunt, ut prædestinationem & reprobationem infantum, atque etiam adulatorum, quoad illum effectum prædestinationis, qui est auditio prædicationis Euangelii, eiusue carentia, referrent ad quædam merita vel demerita conditionata ipsorum seu infantum, seu adulatorum: quasi videlicet propterea infantes quidam prædestinentur ad gratiam & gloriam, quia Deus scientia conditionata viderit, eos si viuere sinerentur, rectè vsuros libero arbitrio; alii verò reproberentur, quia viderit, non rectè vsuros libero arbitrio: eodem modo adultis quibusdam denegerit auditio prædicationis fidei, quia Deus eadem scientia viderit, eos non accepturos fidem; aliis verò offeratur ea gratia, quia viderit Deus, eos per vires liberi arbitrii rectè vsuros ea gratia.

21 In qua re dupliciter errabant; tum quia meritum doni supernaturalis tribuebant operi ex viribus naturæ profecto; tum quia ob merita seu demerita conditionata, quæ nihil ponunt in re, quæque hominem nec bonum faciunt, nec malum, ac secundum diuersas condiciones ex æquo tribui possunt omnibus, putabant Deum premia vel pœnas decernere: cum potius ob eiusmodi demeritorum conditionatam præuisionem, sepe prædestinati vitam abruptam. Deus, ne diutius victurus ex gratia excidat, iuxta illud Sap. 4. v. 11. *Rapius est, ne malitia mustaret intellectum eius, aut ne scilicet deciperet animam illius: & contra prædicatio fidei saepe non obueniat illis, qui eam, si obtigisset, rectè fuissent vsuri, ut de Tyrnis & Sidoniis testatur scriptura Luc. 10. v. 13. & luculenter pluribus demonstrat S. Augustinus lib. de prædest. Sanct. cap. 12. & 13. ex quo etiam notat Suarez, falsò hunc errorem tribui Pelagio; quem Semipelagianis solum tribuunt etiam Prosper & Hilarius.*

22 Ita enim Prosper epist. ad Augustinum eum errorem refert & refellit: [Cumque inter hæc innumerabilium illis multitudo obicitur paruulorum, qui utique excepto originali peccato, sub quo omnes homines similiter in primi hominis damnatione nascuntur, nullas adiuuantes voluntates,

nullas proprias actiones, non sine Dei iudicio fecerunt, ut ante discretionem boni ac mali, de vsu vitæ istius auferendi, alii per regenerationem inter cælestis regni assumantur hæredes; alii sine baptisimo inter mortis perpetuæ transeant debitores, tales autem perdit, talesque saluari, quales futuros illos in annis maioribus, si ad actiuam seruarentur ætatem, scientia diuina præuiderit. Nec considerant, se gratiam Dei, quam continent, non præuiam humanorum voluntate esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam non negant esse præuientas.

23 Sed in tantum quibuscumque commentitis meritis electionem Dei subiiciunt, ut quia præterita, quæ non extant, futura quæ non sint futura confingant, nouoq; apud illos absurditatis genere, & non agenda præscita sint, & præscita non acta sint. Hanc sane de humanis meritis præscientiam Dei, secundum quam gratia vocantis operetur, multò sibi rationalibus videntur adstruere, cum ad earum nationum contemplationem veniunt, quæ vel in præteritis seculis dimissa sunt ingredi vias suas, vel nunc quoque adhuc in veteris ignorantia impietate deperunt, nec vlla eis aut legis, aut Euangelii illuminatio confusa: eum tamen in quantum prædicatoribus ostium apertum est, & via facta est, gentium populus qui sedebat in tenebris, & in umbra mortis, lucem viderit magnam, & qui quondam non populus, nunc autem populus Dei sit; & quorum aliquando non miseris est, nunc autem misereatur, præuios, inquit, à Domino credituros: & ad vnamquamque gentem ita dispensata tempora ac ministeria magistrorum, ut exortura erat bonarum credulitas voluntatum &c.

24 Similiter Hilarius epist. ad Augustinum ita de Semipelagianis loquitur: [Cum autem dicitur eis, quare alii vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur, vel nunc prædicetur, quod aliquando pene omnibus, sicut nunc aliquibus gentibus non prædicatum sit; dicunt id præscientiæ esse diuinæ, ut eo tempore, & ibi, & illis veritas annuntiaretur, vel annuntietur, quando & ubi præuuntiabatur esse credenda; & hoc non solum aliorum Catholicorum testimoniis, sed etiam Sanctitatis tuæ disputatione antiquiore se probare testantur. &c.]

Cæterum S. Augustinus utroque libro de prædestinatione Sanct. & de bono perseuer. quibus epistolæ illæ Prosperi & Hilarii præmittuntur, vtrumque illum Semipelagianorum errorem acriter refellit, & præter innumera testimonia Scripturæ, quibus probatur, in bonis operibus, gratiam Dei nostras voluntates præuenire, & non solum nos nihil boni agere, sed nec velle posse sine gratia diuina, posteriorem errorem tanquam ab omni ratione alienum damnat. Siquidem lib. de prædest. Sanct. cap. 12. ait: [Quis enim audiatur, quod dicuntur paruuli, pro suis futuris meritis, in ipsa infantili ætate baptizari exire de hac vita, & ideo alii non baptizati in eadem ætate mori, quia & ipsorum præscita sunt merita futura, sed mala; non eorum vitam bonam vel malam Deo remunerante, vel dampnante: Sed nullum Apostolus quidem limitem fixit, quem transgredi non debeat hominis, ut miti loquar, suspicio, ait n. (2. Cor. 13. v. 20.) Omnes stabimus ante tribunal Christi, ut referat vnus-

quisque

quisque secundum ea, quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum. Gessit, inquit, non adiunxit, vel gesturus fuit. Sed vnde hoc talibus viris in mentem venerit, nescio, vt futura quæ non sunt futura, puniantur, aut honorentur merita paruulorum? *Et infra eodem capite ait:* Iudicari autem quenquam non solum secundum merita, quæ habuit, quamdiu fuit in corpore, sed secundum merita quæ fuerat habiturus, si diutius fuisset in corpore, vnde opinari poterint homines, quorum ingenia non esse contemptibilia vestrae literæ indicant, mirans & stupens reperire non possum: nec credere auderem, nisi vobis non credere non auderem. Sed spero ad futurum Deum, vt commoniti videant ea, quæ dicuntur futura fuisse peccata, si per Dei iudicium in non baptizatis possunt iure puniri, etiam per Dei gratiam baptizatis posse dimitti.

25 *Et lib. de bono perseuer. cap. 10.* [Falsum est iugiter, inquit, & secundum ea mortuos iudicari, quæ facturi essent, si ad viuentes Euangelium perueniret &c. *Et in fin. cap. ait:* Quanquam, vt dixi, hanc opinionem, qua putantur in morientibus vel mortuis vindicari peccata, quæ præsciunt facturi esse, si viuerent, etiam refellere pudeat; ne videamur & nos existimasse alicuius esse momenti, quam malimus dispensatione cohibere, quam silentio prætereire. *Et eodem libro cap. 13.* Nisi forte, inquit, illi adhuc absurditati auscultabimus, qua dicitur, nihil prodesse cuiquam, mori antequam cadat, quia secundum eos actus iudicabitur, quos eum præsciuit Deus acturum fuisse, si viueret? Hanc peruersitatem sanitati fidei tam vehementer aduersam, quis patienter audiat? quis ferat? Et tamen hoc dicere videntur, qui non fatentur, gratiam Dei non secundum merita nostra dari.] Quibus quidem locis nunquam negat Augustinus scientiam mediam in Deo, sed solum secundum merita aut demerita per eam scientiam præscita, gratiam dari vel negari.

26 *Et quamuis ipse met Augustinus quandoque docuerit, electionem Dei fieri ex præscientia non operum, sed fidei, quasi ex viribus liberi arbitrii possibilis, vt videtur est proposit. 61. epist. ad Rom. id ipsum tamen postea expressè retractauit lib. 1. Retract. cap. 22. vbi ait:* *Nondum diligentius quæsiueram, nec adhuc inueneram, qualis sit electio gratiæ, de qua dicit Apostolus, Reliquia per electionem gratiæ salua sent. Quæ vix non ex gratia est, si ex merito procedit, &c. Perinde quod continuo dixi, &c. Quod ergo credimus nostrum est, quod vero bonum operamur, illius est, &c. hoc profecto non dicere, si iam scirem, etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, &c.*

Certum sit iugiter & ratum, vtrumque hunc Semipelagianorum errorem Catholicæ fidei aduersari: quem non solum Augustinus dicit duobus libris de prædest. sanct. & de bono perseuer. vt & Prosper in variis pro Augustino iam defuncto Apologiis, cõtra Collatores, ad obiectiones Gallorum, Genuensium, Vincentii, Hilarius item & Fulgentius in suis contra eandem hæresin scriptis, egregie ac ex instituto confutarunt, sed postea etiam Romani Pontifices, speciatim Cælestinus in epist. ad Gallos, & Gelasius Can. *Sancta Romana*, dist. 15. & Concilium Arausicanum II. approbatum à Leone I. & nouissimo Concilium Tridentinum sess. 6. Can. 2. 3. & 22.

sequendo & approbando simul doctrinam S. Augustini in hac materia, ex instituto velut erroneam in fide damnarunt, vt pluribus ostendunt Suarez hic lib. 2. de prædest. c. 6. & Vasquez disp. 91. c. 11. quicquid nonnulli incaute ac imprudenter Cassianum, & Faustum Regiensis, quasi explicando, & in mitoriorem partem interpretando, tueantur, vt videtur est apud Vasquez disp. 91. c. 9. qui etiam disp. 89. c. 4. & 5. de variis Semipelagianorum differentiis, quibus illi plus minusus errarunt, disserit.

27 *Et quamuis cum Pelagianorum errorem communiter damnet ipsi etiam Lutherani, dum docent, neque initium quidem bene operandi ex nobis, aut vllam causam diuinæ prædestinationis in nobis esse, non tamen negare possunt, quosdam olim suos Symmystas, nempe Lutheranos Confessionistas, in Pelagianæ hæreseos scopulos impegisse. Ita enim in libro Concordiæ Lipsiæ edito Anno 1580. tit. de libero arb. pag. 628. loquuntur:* [Hæc disputatio iam aliquot, & quidem multos annos, in Ecclesiis quibusdam Augustinæ confessionis, inter Theologos fuit agitata. Vna pars sensit atq; docuit, quamuis homo propriis suis viribus legem Dei implere, Deo vere confidere, ipsum timere & diligere, sine gratia spiritus Sancti non possit, tamen tantum adhuc ipsi virium naturalium ante regenerationem reliquum esse, vt aliquo modo se ad gratiam Dei apprehendendam præparare & assentiri, in firmè tamè possit: sed nisi accedat gratia Dei, nihil illum qualecunque operum præstare posse, &c. Ex altera autem parte Enthusiastæ, tum veteres, tum recentiores, in alteram partem peccantes docuerunt, quod Deus hominem sine vllò medio, aut instrumento creaturæ, hoc est, sine externa prædicatione, & absque auditione verbi Dei, per spiritum suum conuerteret, & ad salutarem Christi agnitionem adducat. *Quibus tamen erroribus Concordiæ mox subiungunt ex sua sententia:* Contra vtriusque partis errores & corruptelas, sinceri Augustinæ Confessionis Doctores asseruerunt: hominem ex lapsu primorum nostrorum parentum ita penitus corruptum esse, vt in rebus spiritualibus, quæ ad conuersionem & salutem nostrâ spectant, talpa sit, vt dicitur, cæcior; ita vt Verbum Dei prædicatū neq; intelligat, neq; intelligere possit, sed illud vt rem stultam iudicet. Docuerunt enim quod homo nunquā à se ipso ad Deum appropinquet &c. *Et pag. 648. aiunt:* Reiciimus etiam crassum illum Pelagianorū errorem, quod liberum arbitriū ex propriis naturalibus viribus, sine Spiritu sancto, sese ad Deum conuertente, Euangelio credere possit. &c.

28 *Omitto, quod ipsi mox ibidem de Papis, vt loquuntur, & Scholasticis subiungunt; quasi vniuersim isti, aut communiter senserint, hominem naturalibus viribus suis, initium ad agendum bonum, & ad conuersionem suā facere posse: quod falsum esse ex dubio sequenti patebit; quicquid priuatā opinatione pauci quidam Scholastici dixerint. Ipsi potius Lutherani inter se & suos exortas de prædestinatione lites & contentiones componant: speciatim inter Egidium Hunnium & Samuelem Hueberū: qui sicut illi visus est hac in re καλῶς λέγειν, ita ille huic vicissim visus est παραπάλαιον; nec omnino absq; fundamento, vt constare poterit ex variis vtrorumque hæc de re disceptationibus. speciatim ex doctrina, quam*

tradit Hunnius de prædestin. tom. 1. pag. 94. 748. 806. 948.

Qualis controuersa etiamnum hodie inter Hollandorum Doctores Caluinianos, Gomaristas scilicet & Armenianos, magna contentione agitur: qui quam vehementer in illis rigidam illam Caluini de prædestinatione & reprobatione sententiam improbant, tam acriter illi in his mollem illam, ut existimant, & Pelagianis conueniunt hac de re philosophandi rationem dicunt; adeo ut Gomaristæ seu Contra remonstrantes tit. de grat. diuina pronuntient: 3

*Facile cuius patere potest, quomodo vice magis esse simile, quàm sit doctrina Demonstrantis, Pelagianorum opinionibus.*  
Interim per nos licet, ut Concordiæ Lutherani suæ, quibus uolunt, doctrinæ fidem faciant, quando in eodem libro Concordiæ, titulo de æterna Dei prædestinatione, pag. 78 r. ita loquuntur: [Falsum igitur est, & cum Verbo Dei pugnat, cū docetur, quod non sola Dei misericordia, & vnicum sanctissimum Christi meritum, verum etiam aliquid in nobis causa sit electionis diuinæ, propter quod nos Deus ad vitam æternam prædestinauerit.] Quamquam prædestinationis ad gloriam seu ad vitam æternam, longe diuersa est ratio, quam prædestinationis ad gratiam congruam; de qua hoc loco disputamus; de altera controuersa acturi inferius quæst. 5. dub. 3. 4. & 5. Atque hæc de erroribus, & variis opinionibus hæreticorum satis.

#### D V B I V M IV.

### Quid Scholastici nonnulli de causa Prædestinationis, ex parte Prædestinati, senserint.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 5.

**Q**uestio est hoc loco, ut dub. præced. exposuimus, an deur ex parte prædestinati causa, seu ratio aliqua motiua prædestinationis, quoad utrumque illum effectum, tam gratiæ congruæ electorum propriæ, quam gloriæ. Nec verò diffiteri possumus, fuisse olim, & ex parte etiamnum esse inter Scholasticos quoque Doctores varias hac de re sententias; & quasdam sanè à Semipelagianorum errore, præcedenti dubitatione relato, saltem quoad modum loquendi, non multum abludentes; non ob aliam causam, nisi quia Conciliorum & Pontifici, adeoq; totius Ecclesiæ Catholice definitiones ac sensum, pro Augustini doctrina, contra Semipelagianos, nõ satis habebant perspecta. Referam igitur hoc dubio aliorum hac de re sententias; prius quidem illas, quæ causam aut effectum omnium prædestinationis, aut certè ipsius gratiæ assignant ex viribus liberi arbitrii; deinde illas, quæ causam eiusmodi assignant, ex operibus à gratia precedentibus: Hinc verò dubio sequenti veram sententiam aliquot conclusionibus ordine explicabimus.

**1** Prima igitur sententia est Aureoli in 1. d. 4. r. vn. a. 1. qui docuit, dari ex parte prædestinati totius prædestinationis, quoad omnes suos effectus, causam per modum remouentis obicem, seu potius per modum carentiæ obicis. Ita enim loquitur loc. cit. propo-

sit. 1. [Deus nullum reprobat sine causa affirmatiua. (de qua re q. 7.) nec prædestinat absq; causa negatiua. Vbi considerandum, quod pro primo instanti, quo offertur diuino conspectui omnis homo, vult Deus illi gratiam & salutem; imò & omnes creat ad istum finem, nisi tamen obicem gratiæ reperiat, per quem homo reddatur indignus. Tunc ergo præscientia sumente sub illa generali volitione, offeruntur in Dei præscientia aliqui cum obice gratiæ, & indignitate; vnde reperit in eis præscientia resistentiæ gratiæ, vel habitualem, sicut in paruulis, in quibus est originale peccatū, vel actualem, ut malū vsum liberi arbitrii in adultis. Alii verò offeruntur in Dei præscientia, non quidē cū aliqua dignitate, aut dispositione positiua; nec illud oportet: sed sufficit, quod sine indignitate & obice offeratur, & tunc concluditur pro istis finalis gratia, & sal<sup>9</sup> æterna, pro illis verò subtractio gratiæ, & preparatio pœnæ; & per consequens illi reprobatū sunt iusto iudicio; isti verò sola misericordia liberati, tamen non sine causa negatiua.]

Et ibidem inferius expressè docet, eam carentiam obicis non esse effectum prædestinationis; cum ait: [Tale quid oportet assignari pro causa prædestinationis, quod non sit effectus proueniens ex ipsa prædestinatione, & eam sequens: sed constat, quod nihil aliud potest poni subterfugiens causalitatem gratiæ & prædestinationis, nisi quod dictum est; omne positiuū, utpote bonus vsum liberi arbitrii, aut quæcunq; dispositio ad gratiam est à Deo &c. Potest aut homo ex puris naturalibus nõ ponere obicem; quia in hoc nullus est actus positiuus, sed mera negatio: vñ hac negatione reperta, Deus qui ad miserandum pronus est, gratiam confert, ex quo oritur omnis bonus vsum liberi arbitrii; & omnis bona dispositio positiua, &c.]

Quod si dicatur, quod puer, qui baptizatus est, habet à prædestinatione, quod fuerit baptizatus, & per consequens carentia obicis est effectus prædestinationis, non causa; non valet quidem; quia hoc potius sequitur cursum naturæ. Si enim puer ex complexione mori debeat statim natus, non perueniet ad baptismum; nec erit hoc ex alia reprobatione; sed quia non vult Deus facere propter ipsum nouum miraculum: imò ipsum relinquit naturali cursui. Similiter etiã si fuerit natus ex parentibus infidelibus, non baptizabitur; si verò ex fidelibus, baptizabitur: hoc aut non habet alteri imputari, nisi ordini naturali, secundū quæ iste nascitur ex istis, ille ex illis: nec propter hoc ut ille baptizetur, Deus debuit ordinare, ut ex aliis parentibus nasceretur. Ita Aureolus.

Secunda sententia est eorum, qui docent, causam prædestinationis seu electionis, quoad omnes eius effectus, esse opera bona moralia prædestinati, antecedentia gratiæ. Pro hac sententia Gregorius de Valentia hic q. 23. pun. 4. §. 3. & alii referunt Thomam Argentinam in 1. d. 4. r. q. vn. a. 2. Ockamum ead. dist. & quæst. & ex Thomistis Iauellum in proprio quodam opuse. hac de re edito, & adiuncto primæ parti S. Thomæ edit. Lugdun. Anni 1581. quem speciatim refellit Dominicus Banneshic q. 25. a. 5.

His à Vasquez disp. 91. c. 10. accensetur Scotus in 4. d. 14. q. 2. Gabriel q. 1. a. 2. & in 2. dist. 27. q. 1. a. 2. & 3. dub. 4. & in 3. d. 27. q. 1. a. 3. dub. 2. & Caietanus tom. 1. opusc. tract. 4. q. 1. qui asserunt posse hominem dolere de peccatis propter Deum, super-

omnia dilectum, ex propriis viribus, & hanc esse ultimam dispositionem ad gratiam habitualement iustificantiem, & meritum ad illam, non quidem condignum, sed congruum. Verum Bannes hic q. 23. a. 5. recte notat, meritum illud Scoti de congruo, si quod est, impertinenter omnino se habere ad prædestinationem: multos enim prædestinatos esse, in quibus non reperitur istud meritum congruum &c. & multos esse, in quibus repertum est eiusmodi meritum congruum, qui tamen non fuerunt prædestinati, &c.

4 Denique pro eadem sententia refert etiam Vasquez loc. cit. omnes illos, quotquot olim defendisse videntur propositionem illam, *Faciens quod in se est, ex viribus naturæ, Deus non denegat gratiam*; qua mirum impetret à Deo auxilia gratiæ, quibus ad Iusticiam promouetur. In quibus sunt Richardus in 2. d. 28. a. 1. q. 2. Durandus quæst. 5. num. 7. Gabriel in 2. d. 27. q. 1. art. 2. & 3. Caietanus 1. 2. q. 109. Sotus lib. 2. de nat. & grat. cap. 3. Driedo opusc. de concord. lib. arbit. & prædest. par. 2. cap. vlt. & de captiuit. ac redempt. gen. hum. tract. 5. cap. 2. par. 2. Ruardus Tappera. 7. non autem A lensis, Antisiodorensis, Gerson; multo minus S. Thomas, vt videre est apud eundem 1. 2. q. 189. a. 6. ad 2. & bene ostendit Vasquez cit. disp. 91. c. 10.

Sed reuera nec illi auctores rectè ad hoc propositum citantur. Quia plerique ex his ipsis, etsi doceant, aliquid fieri posse per vires naturæ, conducens ad gratiam, simul tamen aperte negant, ex parte prædestinati dari causam seu rationem totius prædestinationis, vt de Richardo, Durando, Driedone, Caietano, Soto, norauit ipsemet Vasquez cit. disp. 91. cap. 10. & 11. Idem speciatim videre licet in Molina, qui licet in Concordia sua, & in disputationibus ex caelestis, quæst. 14. art. 13. quæst. 14. ex parte cum Caietano, & aliis superius citatis, quoad naturalem Dei dilectionem senserit, tamen hic quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 11. disertè negat, ex parte prædestinati vllam dari causam, vel rationem, totius prædestinationis, seu omnium effectuum eius; quem ita etiam sequuntur & defendunt nonnulli recentiores, speciatim Lessius de grat. efficaci cap. 10. & append. sequente. Qui etiam rationem huius rei rectè assignant: quia auctores illi opus illud bonum morale conducens ad gratiam, eo ipso censent effectum esse prædestinationis, iuxta dicta quæst. præced. dub. 1. & 2. & quidem etiam, vt mox dicetur, profectum à specialibus auxiliis ordinis naturalis, quæ spectant ad gratiam præuenientem; cuius proinde effectus ex parte prædestinati, etiam secundum ipsorum sententiam, causa seu conditio alia nulla assignari potest. De qua re fusius egi tomo 2. disp. 6. de grat. q. 3. dub. 7.

5 Addit insuper Vasquez cit. disp. 91. cap. 10. hos omnes, quos ipse pro hac sententia secunda citauit, auctores, iam à nobis relatos, re ipsa impingere in errorem Massiliensium, siue Semipelagianorum. Sed nec istud etiam firmiter probari, aut verè dici existimo, vt ostendunt etiam Suarez opusc. de auxili. lib. 3. cap. 2. num. 6. & hic lib. 2. de prædestin. cap. 6. num. 10. & cap. 7. & cap. 18. num. 3. & Lessius cit. cap. 10. & append. de gratia efficaci. Ratio autem eos explicandi, & ab errore Semipelagia-

norum defendendi, hæc commodior, & præ cæteris solidior videtur. Quia tamen negari nullo modo possit, & exiis, quæ dub. præced. ex S. Augustino, Prospero, & Hilario de Semipelagianis retulimus, plane constat, Semipelagianorum errorem in hoc potissimum constituisse, quod in salutis procuratione primas libero arbitrio, posteriores gratiæ tribuerint; quodque adeo per bonum vsum liberi arbitrii ex viribus naturæ gratiam obtineri posse senserint, vt etiam ex Concilio Arausicano, & Cælestino Papa ibidem relatis patet; non ideo tamen, si rem ipsam potius, quam verba spectemus, sequitur, eandem Scholasticorum, quos diximus, cum Semipelagianis fuisse sententiam: non solum quia Massilienses simul etiam meritum aliquod gratiæ ex viribus naturæ asseruerunt, non quidem de condigno, vt intellexerunt Vega & Toletus ad Rom. 11. sed de congruo, vt ex communi Suarez hic lib. 2. cap. 6. à num. 26. & Vasquez cit. disp. 91. cap. 9. nec ea præcipuè de causa, quia Massilienses simul etiam fortassis actualem concursum Dei, velut causæ primæ in operibus nostris excluderunt, vt probabiliter suadet Lessius, opusc. de grat. efficaci cit. append. cap. 10. Sed eam potissimum ob causam, quia Massilienses planè omnia auxilia specialia Dei, in diuina inspiratione & directione posita, liberi arbitrii vsum antecedentia, negarunt; solum gratiam creationis confessi, vt ex dictis eodem dubio colligitur: cum tamen Scholastici illi, quos retulimus, specialia auxilia Dei ordinis naturalis (quæ re ipsa ad gratiam Vocantem spectant, esto aliter ipsi loquantur) cum de naturæ viribus loquerentur, non excluderint, vt superius dictum: & manifestè etiam patet in lauello, quem cum vel maximè etiam improbet Bannes hic q. 23. a. 5. hanc tamen ipsam eius conclusionem refert: [Ex parte prædestinati & reprobati datur causa & ratio prædestinationis & reprobationis; hæc autem ratio ex parte prædestinati, est vltus bonus liberi arbitrii moralis, antecedens gratiam, vt dispositio congrua, non tamen condigna ad gratiam; & elicita à libero arbitrio moto à Deo, non solum vt vniuersali mouente, sed etiam influente in hominem particulare auxilium, quo sufficiens est, etiam remota gratia, producere bonos actus morales, vt temperatè viuere, iusta agere, defendere patriam. Iste itaque bonus vltus, vt præuisus à Deo in iacob, est ratio, quod prædestinetur iacob, & ex opposito, malus vltus liberi arbitrii moralis moti à Deo, vt vniuersali motore, reddens hominem indignum gratia, est ratio, quod Esau reprobetur. Ita lauellus. Omitto aliam expositionem Suarez loc. cit. opusc. quasi solum senserint, D E V M non ponenti obicem per id quod ex se facere potest, ex sua liberalitate dare gratiam. De qua re fusius egi tomo 2. disp. 6. quæst. 3. dub. 7. Atque hæc duæ sententiæ spectant ad causas prædestinationis, petitas ex viribus naturæ: quam vtramque referunt etiam, & vehementer impugnant ex antiquioribus Theologis Gregorius Ariminensis in 1. d. 41. quæst. 1. art. 2. & eundem secutus Marsilius in primis quæst. 41. artic. 2. Et quamuis posterior sententia quoad verba & loquendi modum videatur primà durior, eoque improbilior, quod de positua dispositione; prior solum de negatiua loqui

videatur, re ipsa tamen contrarium accidit; ut tum ex dictis colligitur, tum quia prior etiam ad paru- los assignatam causam extendit.

Tertia sententia est, causam seu rationem, saltem per modum cuiusdam dispositionis seu impetrationis mouentem, non quidem omnium effectuum, prædestinationis; sed ipsius tamen gratiæ congruæ, seu prædestinationis ad ipsam gratiam congruam, esse merita ipsius prædestinati, non quidem antecedentia gratiam, sed consequentia, ac per scientiam conditionatam præuisa, tamen re ipsa ac absolute quandoque futura; seu quod re ipsa idem est, præscientiam illam conditionatam eiusmodi meritum: quasi ideo Deus donet, & præordinarit se daturum, alicui gratiam, quia præsciuit eum bene vsurum gratiæ: sicut cum rex alicui militi donat equum, quem scit eo bene vsurum. Quam quidem sententiam differre ab utroque, illo errore Semipelagianorum præcedenti dubio relato constat. Hanc sententiam referunt & refellunt S. Thomas hic q. 23. a. 5. & Durandus in 1. dist. 4. 1. q. 2. eam verò aperte docuit Alesius 1. part. q. 28. memb. 3. art. 3. ubi ait: [Consequenter queritur, utrum Reprobatio & Prædestinatio habeant causam ex parte Dei, scilicet præscientiam, id est, utrum præscientia, qua scit istum bene vsurum gratia, sit causa prædestinationis, & præscientia, qua scit, illum malè vsurum, sit causa reprobationis. Ad hæc Augustinus. Voluntas Dei ex ratione est. Similiter Ioannes Damascenus; Voluntas est rationalis appetitus: Ergo maximè voluntas Dei; semper enim quod nobilius, est Deo tribuendum; hinc voluntas operans ex ratione, præferenda est illi, quæ operatur sine ratione. Queritur ergo, quæ sit ratio voluntatis diuinæ. Videtur quod præscientia: voluntatis enim quæ est ex ratione, scientia præcedens ratio est. Cum ergo in prædestinatione intelligam voluntatem, scilicet præparatiuam, erit eius ratio præscientia. Ad hoc facit illud Rom. 8. Quos præsciuit, hos prædestinavit. Ad hoc etiam est ratio; quia præscientia semper est ratio voluntatis operantis ex ratione. Item ad idem pater ratio. Quia si esset aliquis largitor bonorum, & sciret, quod iste non uteretur bene dono suo, sed malè, non esset bonus & rationalis dispensator, si daret illi, qui malè esset vsurus, & non illi, qui bene esset vsurus: sed ipse Deus præscit omnia: ratio ergo est, ut det illi qui bene vsurus est, & non illi qui malè.

Et mox libine ipsi obiciens Alesius pergit in hunc modum: contra Augustinus in lib. de prædest. Sanct. Non quia nos tales futuros esse præsciuit, ideo elegit. Item si dicatur, quod meritum in præscientia sit causa prædestinationis & reprobationis: Aut ergo merita in præscientia sunt idem quod Deus, aut no. Si idem; ergo idem est causa sui: nam prædestinatio etiam idem est quod Deus. Si merita in præscientia, vel in causa non sunt idem quod Deus, & merita in suo Esse sunt temporalia, ergo temporale est causa æterni. Item Deus dat gratiam illi, quem scit malè vsurum, ut Iudæ proditori; nec tamen ex hoc dicitur irrationabiliter agere; Ergo à simili non est ratio, quare dicatur agere irrationabiliter, quia non dat illi, qui bene vsurus est gratia: Ergo non est causa, vel ratio prædestinationis. Item voluntas Dei est prima causa, & ratio omnium: sed primæ rationis vel

causæ non est causa vel ratio: Ergo voluntatis diuinæ non est quærenda ratio vel causa.]

Sequitur nunc Alesius responsio. [Secundum rem idem est in Deo præscientia, & prædestinatio, secundum principale significatum; tamen secundum rationem intelligentiæ differunt: & ideo vnum potest dici ratio alterius, non causa. Et hoc voluit dicere Augustinus, cum dixit, Voluntas Dei ex ratione est. Quod ergo obicitur, Non ideo elegit &c. si ideo dicit causam, verum est: si rationem, falsum est: quia præscientia meritum dicit rationem voluntatis: non tamen ex hoc sequitur, quod ipsa merita sint ratio siue causa voluntatis. Ad illud dicendum, quod nihil aliud sunt merita in præscientia, quam præscientia meritum: præscientia autem meritum idem est, quod Deus. Non est autem idem ratio sui. Nam, etsi quantum ad principale significatum, sunt idem, præscientia & voluntas, differunt tamen secundum rationem intelligentiæ, quantum ad connotata: nam collationis gratiæ & gloriæ potest esse ratio præscientia meritum. Ad illud quod obicitur, quod Dominus dat illi, qui non bene est vsurus, dicendum, quod hoc est ex ratione bonitatis; quia dat illi, qui facit quod in se est; sed ratione æquitatis est, quod dat illi, quem scit bene vsurum.] Hactenus Alesius.

Quæ cum magna ex parte etiam retulisset Dionysius Carthusianus in 1. dist. 4. 1. q. 1. subiungit: [Responsio ista tanti Doctoris; admirationem & timorem ingerit mihi, eò quod apertissime dicat, præscientiam meritum esse rationem collationis gratiæ & gloriæ; autoritatemque Augustini prædictam, exponit sic, quod præscientia illa, qua Deus præsciuit nos tales, utpote iustos futuros, non est causa, sed ratio, quod & quare elegit nos. Hæc quippe videtur esse contra intentionem Augustini & Patrum: quia ex his sequi videtur, quod præscientia meritum sit ratio prædestinationis, non mera ac pura bonitas ac liberalitas Dei: & item quod gratia non datur pure ac penitus gratis, sed intuitu meritum. Nec videtur ista responsio multum differre ab opinione praua ac condemnata dicentium, quod gratia datur propter merita, saltem futura, & quod merita sint causa prædestinationis. Nempe qui hoc dixerunt, non erant tam rudes, & imperiti, quod opinabantur merita temporalia & gesta creaturarum, esse causam effectiuam aut præcessiuam diuinæ prædestinationis, quæ est ipsemet Deus; ita quod res creatæ esset real' causa Dei: sed hoc intendisse videntur, quod præscientia, præcognitio, seu præintuitio meritum futurorum, fuerit ratio prædestinationis, cur scilicet Deus voluerit atque decreuerit, seu præparauerit gratiam dare his, quos præsciuit iustos futuros; quod tamen negatur in litera.] Ita Dionysius.

Sed horum opinionem differre ab illa Pelagianorum ac Semipelagianorum, iam ante monui: isti enim pro causa prædestinationis assignabant meritum ex viribus naturæ; hi autem meritum, seu bonum vsu liberi arbitrii ex gratia &c.

Posset etiam in eandem sententiam citari Eckius in Chrysopasso centur. 3. num. 16. ubi ait: [Aliquos verò Deus prædestinat cum ratione & causa: præsupponendo semper, quod ab initio articuli dictum est, non intendere sic loquentes, propositum diui-

num quomodocunque causari; sed solum quod illa ratio prædestinationis teneat se ex parte prædestinati, aditum vel similem sensum: quia Deus ab æterno præuidit, hunc assensurum bonæ motioni & inspirationi diuinæ, propterea vult ei dare gratiam. Et quia Deus præuidet ab æterno, hunc per eandem gratiam multa bona opera facturum, & in ea finaliter permanens, ideo vult ei & ordinat eum ad tantam gloriam: & illa præuisio, aut potius illa præuisa sic cognita, seu in esse cognita sunt ratio prædestinationis. Et hoc facit Deus procedendo secundum regulas iustitiæ suæ, ad mentem quarti euidentialis, quodque non vult deesse homini facienti quod in se est, secundum maximam Theologicam. Ita Eckius. Sed reuera hic author ad propositum non spectat; quia non loquitur de prædestinatione ad gratiam præuenientem congruam: sed tum ad gratiam habituales sanctificantem, tum ad gloriam; illiusque rationem vult esse dispositionem nostram: huius verò merita præuisa: quod ad propositum non spectat; sed quæst. seq. dub. 5. expendendum erit. Quare etiam idem Eckius cent. 2. num. 3. 2. plane oppositum docet, & hoc quartum corollarium statuit: *Non eo quia Deus præuidit hunc bene vsurum gratia, ideo Deus vult illi dare gratiam; & per consequens non eo etiam prædestinat: sed e contra quia Deus vult illi gratiam, & bonum vsurum gratia, ideo bene vitur gratia.* Ita Eckius: & addit, hoc corollarium esse, contra Doctorem solennem, nempe Gandauensem, de quo paulo post.

10 Sed nec desunt recentiores quidam Thomistæ, qui in eandem sententiam pertrahere conentur omnes illos Doctores, qui asserunt, prædestinationem non esse peractam in Deo, sine præscientia conditionata boni vsus liberi arbitrii. Verum hoc frivolum est, quia non ideo assignatur hæc scientia, vel ipse bonus vsus ita præuisus, vilo modo, vel vt causa, vel vt conditio, siue occasio ex parte prædestinati inuitans seu mouens ad prædestinandum, aut vllum gratiæ donum conferendum: licet præscientia illa sit conditio sine qua non, ex parte DEI prædestinantis; quia videlicet absque ea stare eum prædestinatione non posset libertas arbitrii nostri; nec omnino satis perfecta foret prædestinationis ac prouidentia ratio ex parte Dei.

Dices. Si homo postea hac vel illa conditione, non esset cooperaturus, Deus non præsciret cooperationem sub conditione futuram: & si non præsciret, non prædestinaret: ergo cooperatio saltem sub conditione futura est conditio requisita ad totam prædestinationem. Respondetur primò; etiam si homo hac vel illa certa conditione posita non esset cooperaturus, Deum tamen in sua præscientia habuisse alias conditiones, cum quibus hominem prædestinare posset; imò etiam potuisse prædestinare absque omni cooperatione futura ad vitam æternam; auferendo eum ex hac vita ante vsurum rationis. Neque vero prima prædestinatio ad vitam æternam sit post ordinationem particularem, & præuisiorem mediorum, sed ante, vt dicitur quæst. sequenti.

Respondetur secundo, hinc solum probari, cooperationem, non vt ipsa futuram; sed solum vt sub conditione futuram, esse conditionem ad prædestinationem ad uitam requisitam, non veluti ratio-

nem mouentem aut inuitantem ad prædestinandum; sed velut terminum ipsius scientiæ conditionata; quæ ex parte Dei est conditio ad prædestinationem saltem mediorum in adultis requisita; ita vt etsi nullum adultum Deus prædestinaret, quem non sciret per scientiam mediam & conditionatam rectè vsurum libero arbitrio, si tali gratia præueniretur: minimè tamen idcirco hæc præscientia fuerit causa siue ratio prædestinationis; quando cum simili præscientia alios innumeros non prædestinavit.

11 Quarta sententia est eorum, qui veriti admittere causam prædestinationis meritoriam, aut impetratoriam, seu minimam dispositionem, dixerunt, arbitrium nostrum, eiusque cooperationem absolute futuram (saltem vt procedit à libero arbitrio) esse causam, siue vt cautius aliqui loqui maluerunt, conditionem sine qua non: eo quod totus effectus prædestinationis in nobis non fit sine nostra cooperatione, nec vllus omnino adultus sine propriis meritis saluetur. Pro hac sententia Vasquez disp. 91. cap. 7. inter alios citat etiam Ioannem à Bononia, & Bartholomæum Camerarium, quos quidem non vidi. Ita verò sentit Henricus Gandauensis quod lib. 4. quæst. 19. vbi ait: [Prima gratia nullam causam habet in nobis meritoriam sicut habet secunda: habet tamen causam congrui, non propter quam; sed sine qua non conferretur vni prima gratia gratum faciens, quæ alteri denegatur; cum apud Deum non sit personarum acceptio, sicut dicit Apostolus: sed æqualiter fauet omnibus, vt dicit Augustinus in Originali. super illud psalmi 17. In circuitu eius tabernaculum eius. Vnde ex parte vnius istorum respicitur aliquid, sine quo nullo modo alteri esset præferendus. Quod est ratio præferendi ipsi alteri; & hoc non ex parte Dei, & respectu actus eius, vt est ab ipso & in ipso: sed ex parte subiecti in nobis, & respectu actus, vt effectus eius habet recipi in nobis. Sed tale quid sit, omnino nobis inuestigabile est; & est opus clamare cum Apostolo, ô altitudo. Vñ super illud Eph. 3. Vt possitis cõprehendere, Glossa: Quia isti dat, illi non dat, de profundo iudiciorum Dei procedit, quod scrutari nequimus.

12 Exemplum tamen sit nobis circa habentes vsurum liberi arbitrii. Puta, sint duo peccatores, vel infideles, quorum corda aliquo motu gratiæ præuenientis stimulet ad aliquod bonum spirituale credendum, & vnus respuat, reuoluetur statim, & contradicat, alter verò sistat, nec contradicat; non dico, quod aliquis motus in bonum eliciat: nõ est congruum, quod contradicenti & nõ contradicenti æquale fiat: imò contradicens forte mortaliter peccat, & meretur damnationem siue reprobationem quoad effectum eius, qui est pena æterna: alter verò nihil meretur omnino, quia adiutorium gratiæ grati facientis non habet adhuc. Congruum tñ est, vt diuina liberalitas prouideat ei super adiutorio gratiæ grati facientis & condonantis peccata, qua possit salutem suam promereri, super quo nõ est æque congruum prouideri alteri, eo quod voluntarie à peccato liberaliter conferre gratiæ seauerit, alter aut nõ. Et hoc reputatur conuerti, vt sibi peccata condonetur, iuxta illud quod dicit Augustinus super prænomiatum psalmum: Omnipotens Deus neq; in misericordia amittit iudicium, neq; in iudicio misericordiam:

conuer-

conuersis ad se donat peccata, non conuersis non donat. Misericors est iniustus: nunquid & iudicium amittit, aut non debuit iudicare inter conuersos, & non conuersos? An nobis iustum videtur, vt conuersus, & non conuersus æqualiter habeatur, vt eodem modo suscipiantur humilis, & superbus? Secundum hoc ergo descendendo ad quæstionem, dico, quod in isto singulari prædestinato quocumque est assignare causam & rationem prædestinationis suæ: non secundum rationem, quia ipsa prædestinationis actio voluntatis est in prædestinante, sed secundum rationem, quia connotat effectum receptum in prædestinato. Non dico causam siue rationem meritoriam, propter quam fit, sed congruentiam, sine qua non, vt expositum est.

13 Et clarius in eundem sensum loquitur idem Gandauensis quod lib. 8. q. 5. vbi ait: [Hinc dicit Augustinus, Non propter futura quæ præuidit elegit. Vbi ergo sunt merita, vbi opera vel præterita, vel futura, tanquam liberi arbitrii viribus adimpleta, vel adimplenda? Non igitur misertus est Deus, quia Iacob voluit & cucurrit, sed ideo voluit & cucurrit, quia misertus est Deus. Est tamen hic intelligendum, quod in volente & currente est tria considerare, & ipsum actum cursum & volentis, & ipsam gratiam, qualiberum arbitrium sit validum ad efficaciter volendum & currendum, & ipsam potentiam liberi arbitrii. Et bene verum est, quod actus siue operatio ab utroque est, scilicet à gratia & libero arbitrio simul, ita quod à neutro esset perse, & quod plus est à gratia, quam à libero arbitrio; quia plus virium dat gratia libero arbitrio, quā habeat ex se & suis naturalibus. Aliquid tamen agit in opere ex suis naturalibus, licet non nisi cum gratia: vt licet ex se & naturalibus suis non operetur, ex eis tamen cooperatur. Et sic tam ratione gratiæ omnino, quam ratione operis principaliter, bene verum est, quod non est volentis, neque currentis, sed misertus Dei. Ratione tamen liberi arbitrii in cooperando, aliquo modo est volentis & currentis; vt saltem hoc, vt est existens in præscientia Dei, sit ratio electionis æternæ, respectu electi, & ita prædestinationis; quia quodammodo non includitur sub prædestinatione, neque sub eius effectu; licet non sit sine eius effectu; nec sit distinctum quod est prædestinationis, ab eo, quod est liberi arbitrii.

14 Et infra ait: Et quod talis ratio iustitiæ ponatur in operibus misericordiam, quæ tamen non mouet dantem, sed sine qua non dat, non sit inconueniens, patet ex eis, quæ sunt circa opera cõdemnationis, &c. vt sicut ibi ex parte subiecti ratio sit iniustitia, propter quam fit; sic hic ratio sine qua non; vt sine tali iniustitia nunquam ponatur Dei misericordia. Et infra ait: Et potest dici secundum prædicta, quod licet effectus totus prædestinationis quoad substantiam & habitum gratiæ, & essentiam operationis meritoriam totius, in quantum totum est effectus gratiæ, totum pertinet ad effectum prædestinationis, tamen in quantum in toto liberum arbitrium cooperatur, & aliquid ex se agit, licet nihil agit, nisi idem agatur à gratia, tamen in quantum sit à libero arbitrio, potest esse totum, secundum quod fit à libero arbitrio, ratio totius prædestinationis, modo præposito. Nec incidit positio hæc in opinionem Pelagianorum; quia

non ponitur hoc op<sup>9</sup> liberi arbitrii, quin et ponatur gratia, qualiter nõ ponebãt Pelagiani. Propter quod totum meritoriu est ratione gratiæ, ex qua fit, & totu vt est in præscientia, est prædestinationis ratio.

Similia repetit ibidẽ inferius: citatq; et in eam sententiam S. Augustin. lib. 8. q. 6. 8. vbi ait: *Proffus cuius vult miseretur, & quẽ vult obdurat. Sed hæc voluntas Dei iniusta esse nõ pot. Venia. de occultissimis meritis, quia & ipsi peccatores, cũ propter generale peccatum vnã massã fecerint, nõ tamẽ nulla est inter illos diuersitas. Præcedit ergo aliquid in peccatorib. quo quãuis nondũ sint iustificati, digni efficiantur iustificatione: & itẽ præcedit in aliis peccatoribus, quo digni sint obtrusione. Ita ex Augustino Henric<sup>9</sup>.*

15 Sed præterquã quod Richardus 1. d. 4. r. a. 2. q. 1. ad 2. & pleriq; Theologi veteres, vt & Thomistæ recentiores, cũ Magistro in 1. d. 4. existimant, S. Augustinũ hunc locũ in aliis consimilib<sup>9</sup> retractasse, tametsi quibusdã recentioribus id nõ probetur, certẽ Augustinus eo loco solum loquitur de collatione gratiæ sanctificantis, & obduratione; respectu quorũ sanẽ vtrinq; datur causa ex parte hominis; inde consensus seu bona dispositio, non tamẽ sine gratia Dei præueniente, vt declarauit idẽ lib. 1. Retract. c. 16. hinc verò in obediẽtia & refutatione gratiæ oblatæ, vt declarat in eadem quæstione S. Augustinus. Et falsum est, quod dicit Gandauensis: *sicut particularis vsus liberi arbitrii est ratio partis (scilicet vnus effect<sup>9</sup> prædestinationis) sicut totus vsus per totã vitã, est ratio totus, & similiter electionis æternæ: & sicut in vno, inquit, sic in toto humano genere; vt secundũ hoc, & hoc modo, assignemus intrinsecã rationẽ, & quoad totũ genus humanũ, & quoad quẽlibet, sed in generali tantũ, quare aliqui saluantur, alii verò dãnantur; & quare iste potius saluatur quã ille, à totius massæ damnatione, in quo æquales sunt; & hoc in adultis. &c.* Sed de falsitate huius doctrinæ inferius agendum.

16 Præter has quatuor sententiã hæcenus relatas, quæ ad rem ipsam, de qua agimus, propriè spectant, sunt et dux aliæ, quæ in modo potius loquendi, quam re ipsa à vera & communi sententia inferius explicanda recedunt. Est igitur quinta sententia Ockami & Gabrielis in 1. dist. 4. r. & tribuitur et Osorio lib. 9. de Iustitia, Catharino, & aliis, qui, vt dictum quæst. prædub. 1. cum inter effectus prædestinationis numerent solum gloriæ consecutionẽ, non vero mediã, simulq; sentiant, prædestinationem ad gloriã saltem communiter fieri post præuisa merita, vt dicitur quæst. seq. consequenter docent, ipsam totam prædestinationem fieri à Deo ex prædestinati præuisis meritis de condigno. Quæ sententia licet in verbis potius, quàm in re erret, tamẽ ob malè sonantem & dissonã à communi sensũ Theologorum loquendi modum, proffus est repudianda. Accedit quod vtrumq; eius sententiæ fundamentum falsum esse, partim dictum quæst. prædub. 1. partim constabit quæst. seq.

17 Sexta sententia est, quæ cum asslerat, effectũ prædestinationis incipere primũ à gratia sanctificante, consequenter docet dari in adultis causam meritoriam de congruo prædestinationis quoad omnes effectus. Quæ sententia tribuitur et à Gregorio de Valentia. q. 2. 3. pun. 4. §. 3. Iauello, & à Vasquez disp. 9. r. c. 5. Iauello simul & Bonauenturæ in 1. d. 4. r. Sed & hæc sententia in modo loquendi potius, quam re ipsa errat: & Iauellus non solum de gratia sanctificante habituali, sed etiam de actualibus auxiliis gratiæ ordi-

nis supernaturalis locutus est, vt circa secundam sententiam retulimus, & videre est apud Bannem loco ibidem citato: nec etiam satis constat, an ea fuerit Bonauenturae sententia, vtdictum cit q. præced. dub. i. vbi simul fundamentum eiusdem sententia refutauimus.

Omitto eos, qui cum asserant, gratiam efficacem talem formaliter esse & dici solū ab ipsamet cooperatione, consequenter docent, in nobis esse conditionem, seu potius rationem & causam, vt vocatio prima non quidem nobis prædestinetur & conferatur, sed sit efficax, & pertineat ad prædestinationem, non ad commune prouidentiam: de qua re in materia de gratia differendum, & non nihil etiam quest sequenti; vbi simul expendemus illam sententiam, quæ negat illum effectum, etiam loquendo de prima gratia congrua, fuisse omni ratione priorem ipsa præscientia absoluta cooperationis perseverantis. Restat nunc, vt de causâ totius prædestinationis veram sententiam exponamus; quod dubio sequenti aliquot conclusionibus ordine præstabis.

#### DVBIVM V.

*Quanam sit vera sententia de causa Prædestinationis, ex parte prædestinati; & an omnino admittenda sit vlla eiusmodi seu causa motiua, seu occasio, seu conditio sine qua non totius prædestinationis, seu omnium effectuum ipsius.*

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 5.

**V**era igitur & communis Theologorum sententia in his assertionibus consistit, quas ordine subiungemus.

Assertio I. Causa, seu ratio motiua, totius prædestinationis, seu omnium effectuum prædestinationis, siue etiam ipsius gratiæ congruæ prædestinatorum propriæ, ex parte prædestinati non est aliqua eius dispositio, siue conditio ex viribus naturæ profecta; neque positiua, in operibus bonis moralibus; neque negatiua, in carentia obicis constituta. Hæc est doctrina S. Thomæ hic q. 23. a. 5. & communis Theologorum, quos referemus assert. 5. contra primam sententiam superius relatam, & quoad modum loquendi, etiam contra authores pro secunda sententia adductos, vt ibidem notauimus. Et quamuis forte hæc assertio non sit aperte de fide, vt colligi potest ex iis, quæ supra dub. præced. in relatione secundæ sententiæ contra censuram Vasquez diximus, adeo tamen certa est, vt oppositum non sit tutum, vt communiter censent Doctores recentiores inferius citandi.

Probat hæc assertio primum ex Scriptura; quæ sæpius docet, in iis quæ ad salutem pertinent, hominem nihil præstare, nec peccata etiam vitare, aut ab is immunem esse posse, sine gratia; neque adeo hanc

ex viribus naturæ sibi comparare posse. Cuiusmodi sunt illa Ioan. 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere.* Rō 9. v. 16. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Rom. 11. v. 5. *Reliquia secundum electionem gratiæ salua facta sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia.* Et v. 35. *Quis prior dedit ei? 1. Cor. 4. v. 7. Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non acceperis? Si autem acceperis, quid gloriaris, quasi non acceperis? 2. Cor. 3. v. 5. Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Philip. 2. v. 13. *Deus est qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate.* Iacobi 1. v. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum.* Olee 13. v. 9. *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Speciatim verò contra Aureolum huc faciunt illa, Iob 14. v. 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? Prouerb. 20. v. 9. Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato? Ephes. 2. v. 3. *Erasmus natura filii iræ Rom 11. Concluserunt Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur.* Ex quibus patet, non esse naturæ hominis, aut virium naturalium, peccati obice carere, aut quicquam facere, quo à reprobis discernatur.*

Secundò probatur ex S. Augustino, aliisque Patribus, qui vt inferius videbimus assert. 5. omnem causam motiuam prædestinationis, ex parte prædestinati, excludunt. Optimè de hac re Augustinus lib. de prædest. Sanct. c. 6. *Electio, inquit, ista gratiæ est, non utique meritorum.* Superius enim dixerat (Rom. 11.) *Sic ergo & in hoc tempore reliqua & per electionem gratiæ salua facta sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia. Gratiæ ergo consecuta est, quod consecuta est electio: non præcessit eorum aliquid, quod priores darent, & retribueretur illis: pro nihilo enim saluos fecit eos.* Idem habet Prosper ad excerpta Genens. dub. 4. Et multa in hunc sensum definit Concilium Arausicanum I I. Quibus accedunt illa, quæ ex Scriptura & SS. Patribus adduximus dub. 1. ad probandum, nullam in particulari dari causam, cur hic potius eligatur aut prædestinetur, quam alius. Plura assert. seq.

Ratio generalis est. Quia omne medium particulare salutis, est effectus prædestinationis, siue sit ordinis naturalis, siue supernaturalis, vt dictum quæst. præceden. Ergo etiam tam carentia obicis, quam opus bonum morale, esto ex viribus naturæ profectum ad salutem quicquam conferre posset, est effectus prædestinationis.

Ratio particularis contra Aureolum est. Quia iuxta ipsam, obex gratiæ & æternæ prædestinationis, est etiam peccatum originale; vt dictum dub. præceden. ob id enim ait, ex infantibus quosdam à Deo fuisse reprobos: at verò hunc obicem peccati originalis habent omnes; ac præcipue quoad hoc pares sunt omnes infantes, vt ex dictis patet; tum ex illo Rom 5. v. 12. manifestum est: *sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Et v. 18. *igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obediendum iusti*

consti-

constituentur multi. Ergo carentia obicis inter homines, maximè inter infantes, non est causa totius prædestinationis, seu omnium effectuum prædestinationis.

5 Vnde secundò sic argumentari licet. Carentia obicis est carentia peccati etiam originalis, vt docet loc. cit. Aureolus; aut ergo prædestinandi offeruntur præscientiæ diuinæ tanquam à peccato originali præseruari, eiusque penitus expertes, aut tanquam ex viribus naturæ ab eo liberati; aut per gratiam Christi ab eo liberati: duo priora dici nullo modo possunt, sine manifesto Pelagianismi errore: si tertium dicatur, impossibile est, vt carentia obicis dicatur causa totius prædestinationis, seu omnium eius effectuum: Ergo. Minor probatur quoad priorè partem, quia Pelagianum est dicere, hominès peccatum originale non contrahere; hoc enim est negare peccatum originale; siquidem nulla est ratio, cur id tribuatur solum reprobis, & non prædestinatis: & si hoc maximè verum esset, id ipsum tamen præcipuum quoddam diuinæ gratiæ erga prædestinatos opus, adeoque effectus prædestinationis esset. Nec minus contra Pelagianos damnatus in Concilijs error est, dicere, hominem sine gratia Christi à peccato originali liberari posse, vt patet ex omnibus fere Concilijs contra Pelagianos celebratis, speciatim ex Mileuitano, Arausicano, Tridentino, &c. Tertia pars itidem patet. Quia si ipsi etiam prædestinati non nisi per gratiam Christi à peccato originali liberantur; ergo ea ipsa carentia peccati originalis est effectus gratiæ diuinæ, adeoque prædestinationis; Ergo impossibile est, vt sit causa seu ratio motiua totius prædestinationis, seu omnium effectuum prædestinationis.

6 Tertio rursus. Si carentia obicis, seu peccati originalis, esset causa totius prædestinationis, necesse foret, vt ipsa non esset effectus prædestinationis, vt fatetur Aureolus: sed planè falsum est, eam carentiam non esse effectum prædestinationis: cum sit effectus baptismi, quem effectum esse prædestinationis sæpe sæpius contra Pelagianos, eorumque reliquias inculcat Augustinus, maximè lib. de prædest. Sanct. & de perseuer. & satis patet ex ijs, quæ de effectu prædestinationis dicta sunt quæst. præced. Est ergo manifestè absurdum, quod ait Aureolus, baptismi collationem & occasionem non esse effectum prædestinationis, quasi tantum ex dispositione cursus naturalis, & causarum secundarum, sine speciali & particulari decreto diuinæ providentiæ accidat, vt ex infantibus vnus baptizetur, alter non baptizetur.

Quartò, loquendo speciatim de adultis, obex in his est malus vsus liberi arbitrij, vt ait Aureolus, ac proinde carentia obicis in hoc consistit, vt non male vtantur libero arbitrio, adeoque non peccent: at verò impossibile est, vt homo adultus, sine gratia longo aliquo tempore, aut ad finem vsque vitæ à peccato etiam mortali immunem se præstet: *non est enim homo, qui non peccet*, 3. Reg. 8. v. 46. vt in materia de gratia fufius docuimus to. 2. disp. 6. q. 3. dub. 4. & 5.

7 Quod si Aureolus dicat, satis esse pro illa carentia obicis, vt homo adultus breui aliquo tempore non peccet; id omnino falsum est, siquidem multi sunt reprobi, qui cum longo etiam aliquo tempore mortaliter non peccarint, nihilominus tamen quia semel tandem aliquando peccant mortaliter, & cum

eo peccato decedunt, damnantur: neque satis est diurna vlla mora temporis sine peccato transacti, quamdiu homo viuit, quæ hominem securum aut certum de sua prædestinatione & salute reddere possit: semper enim adhuc fieri potest, vt peccet, & ob peccatum damnetur, vt constat etiam ex definitione Concilij Tridentini, sess. 6. can. 22. & 23. E contrario verò sæpe accidit, vt homo prædestinatus in fine tandem vitæ conuertatur & penitentiam agat, & ita cum gratia decedat, vt in bono latrone accidit: Ergo falsum profus est, carentiam peccati personalis, quomocumque explicetur, esse rationem & causam totius prædestinationis, seu omnium effectuum prædestinationis.

8 Ratio particularis contra eos, qui bona opera moralia constituunt causam & rationem gratiæ & prædestinationis, est. Tum quia sine præuia motione gratiæ nullum opus salutare fieri à nobis potest; ac proinde motio gratiæ præuenientis antecedit bonum ac salutarem vsum liberi arbitrij, vt in materia de gratia ibidem docetur dub. 3. non sequitur; nec ad ipsam gratiam sanctificantem homo satis se disponere per vires naturæ vilo modo potest, vt definitur in Concilio Tridentino sess. 6. can. 1. 2. & 3. Tum quia fieri potest, vt homo quantumuis in bonis operibus moralibus ante finem vitæ se exercuerit, adhuc tamen gratiam congruam prædestinatorum propriam non sit consecutus: è contrario fieri potest, & sæpe fit, vt qui nulla eiusmodi bona moralia exercuerit, in fine tamen vitæ per diuinam gratiam subito conuersus saluetur, vt dictum. Ergo vanum est, eiusmodi bonis operibus moralibus prædestinationem attribuere.

9 Nec video vllum argumentum, quo opposita sententia corroboretur, quia Deum in prædestinatione non habere se æqualiter ad omnes, etiam si Deo prædestinanti æquali conditione omnes offerantur, quod hæc sententia pro absurdo habet, ex Scriptura & Patribus notissimum est, ex dub. 1. Illud autem axioma, Deus facienti quod in se est, non denegat suam gratiam; non intelligitur de faciente per vires naturæ, sed per auxilia actualia præuenientis gratiæ, vt suo loco de gratia doceo tom. 2. disp. 6. q. 3. dub. 7. & rectè exposuit S. Thomas 1. 2. q. 109. a. 6. ad 2. & q. 112. a. 2. & 3. Denique falsum est, inter auxilia diuinæ gratiæ solum numeranda esse ea, quæ sunt intrinsecè supernaturalia, vt ibidem de gratia docetur q. 1. dub. 2. & 3.

10 Assertio II. Causa & ratio motiua prædestinationis siue totius, siue etiam ad gratiam congruam prædestinatorum propriam, non sunt bona opera moralia prædestinati, gratiam sanctificantem antecedentia, quamuis ex particularibus auxilijs Dei profecta. Hæc assertio directe est contra secundam sententiam superius relatam, & contra Iauellum aliosque authores ibi relatos, prout à nobis expositi sunt; & sumitur itidem ex S. Thoma q. 23. a. 5. & est communis Doctorum, apud Bannem loc. cit. & Gregorium de Valentia q. 23. p. 4. §. 3. Et quamuis Bannes contra Iauellum dicat, eam Iauelli sententiam *refutari non minus, quam errorem Pelagianum*, certè tamen ea sententia ab errore Pelagiano abest, vt superius dictum: satis est dicere, eam & malè sonare, & improbabilem esse, nec satis in fide tutam.

11 Probatur primò ex Scriptura & Concilijs, ex quibus colligitur, in rebus ad salutem & pietatem spectantibus, non solum hominem nihil posse sine auxilio speciali Dei, ad ordinem naturæ spectante, & naturales solummodo vires lapsæ naturæ quasi restituente, ut intellexit Iauellus, sed etiam sine auxilio gratiæ diuinæ per Christum, nihil posse facere; sic enim sonant illa: *Sine me nihil potestis facere. Reliquia secundum electionem gratiæ salua facta sunt. Gratia Dei sum id quod sum.* Et in Concilio Arausicano II. can. 6. dicitur: *Si quis sine gratia credentibus, volentibus, desiderantibus, & pulsantibus nobis, misericordiam dicit conferri, non autem diuinitus ut credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem & inspirationem sancti Spiritus in nobis fieri constitetur; aut humilitati, & obedientiæ humanæ subiungit gratiæ adiutorium, nec ut obediens & humillimus, ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti, Quid habes, quod non accepisti? & Gratia Dei sum id, quod sum. 1. Cor. 4. & 25.* Quod si ergo omne bonum ad pietatem & salutem spectans est effectus gratiæ, necesse est, ut sit etiam effectus prædestinationis, cum gratia hominis prædestinati vtique sit effectus prædestinationis ex qua est præced. dub. 1. Ergo impossibile est, ut sit causa eiusdem gratiæ, siue prædestinationis ad eandem.

12 Huc etiam secundo spectant alia loca Scripturæ, & Conciliorum quam plurima, quæ docent hominem ad gratiam sufficienter non disponi per sola opera bona moralia; sed necessariò prærequiri dispositionem supernaturalem fidei, spei, charitatis, poenitentiae, vt videre est etiam in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 5. 6. & can. 1. 2. 3.

Tertio huc spectant illa loca Scripturæ & Conciliorum, quæ vniuersim negant, gratiam ex operibus naturæ, seu naturalibus viribus dari: vt est in primis citatum illud Rom. 11. *si autem gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia.* In quem sensum paulò antea etiam S. Augustinum & Prosperum pluribus differentes audiuius. Optime etiam S. Augustinus lib. 1. ad Simplic. q. 2. *Vocantur est ergo gratia, percipientes vero gratiam consequenter sunt opera bona; non quæ gratiam pariant, sed quæ gratia pariantur. Non enim vt ferueat calefacit ignis, sed quia feruet: nec ideo bene currit rota, vt rotunda sit, sed quia rotunda est: sic nemo propterea bene operatur, vt accipiat gratiam, sed quia accipit. Quomodo enim potest iuste viuere, qui non fuerit iustificatus? &c.* Prima est igitur gratia, secunda, opera bona, &c. Et infra: *Non quia inuenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum iustificationis ipsius, sed quia illud manet, vt iustificet credentes, ideo inuenit opera, quæ iam eligat ad regnum cælorum, &c.*

13 Quartò huc spectant illa loca Scripturæ, quibus vniuersim probabitur inferius, nullam esse causam seu rationem motiuam in prædestinato rotius prædestinationis: quibus etiam superius dub. 1. probauimus, nullam esse causam, cur hic potius, quam alius à Deo prædestinetur.

Quintò idem probat ratio. Quia vel Auctores illi sentiunt, opera bona moralia naturalia ante gratiam sanctificantem facta, esse causam & rationem gratiæ ac prædestinationis ad gratiam electorum propriam, si modò aliqua breui aliquo tempore fiant; vel requirant, vt longo aliquo tempore exercentur, absque nouo peccati mortalis lapsu; neutrum dici potest.

Non primum. Quia falsissimum est, ad gratiam sanctificantem certò conciliandam sufficere, si bona opera moralia & naturalia breui solum aliquo tēpore exercentur, vt à fortiori ex insinuatâ Scripturæ locis patet. Neque secundum dici potest: quia ex materia de gratia apud S. Thomæ q. 109. a. 4. & 8. certum est, hominem extrâ gratiam sanctificantem cōstitutum non posse longo tempore à nouo peccato mortali immunem se præstare; siue impotentia hæc sit physica & intrinseca, siue solum moralis & quasi extrinseca, de quo ibidem egi 1. 15.

Denique bona eiusmodi opera moralia sæpe gratiam sanctificantem non præcedunt; nonnunquam reprobis cum prædestinatis communia sunt; vt etiam asserit præced. dictum: Ergo nulla ex his ratio prædestinationis desumi potest.

Nec vltimum est oppositæ sententiæ fundamentum, præter id, quod iam antea refutauimus, petitum tum ex homine faciente quod potest; tum ex aequalitate diuinæ benevolentiae ad omnes, in quibus nulla est inæqualitas, quod fundamentum falsissimum esse patet ex dub. 1. & 2.

Certè Iauellus ipse, quasi præfando, hac in re fatetur, suam sententiam nulla auctoritate muniri, cum ait: *Primum sit assignanda aliqua ratio, pro qua Iacob est prædestinatus, & Esau reprobatus, à nullo adhuc decisâ est. Nam si ab aliquo, à D. Paulo decideretur in epist. ad Rom. à cap. 9. vsque ad 17. sed ille reliquit totum in seruitute, dicens: O altitudo diuitiarum, &c. in cuius confirmationem adduxit Apostolus illud Isa. 40. Quis cognouit sensum Domini. Præterea neq. Augustinus hanc quæestionem determinauit, neq. D. Thomas, neq. Scotus, neq. alius quisquam; sed quilibet illorum illum sensum secutus est, qui sibi rationabilior videbatur.*

15 Quod autem Iauellus ibidem nihilominus subiungit, quod illam opinionem nos sequi decet, quæ rationabilior appareat, & apertius seruet rectitudinem diuinam, sustentet spem fidelium, occasiones desperationis tollat, defendat prædestinationis certitudinem cum libero arbitrio, quasi liberum ei sit, à S. Pauli, Augustini, & S. Thomæ vestigijs in hac re discedere, non immeritò reprehendit Bannes cit. q. 23. a. 5. *Qui non rideat, inquit, maximam temeritatem auctori huius cum arrogantia coniunctam? Nam quæestionem, quam neq. Paulus, neq. Augustinus, neq. D. Thomas definiunt, hic auctor vult definire; & assignare nobis rationem sufficientem huius differentie, quare huius Deus prædestinauerit, & non illum, ex quibusdam meritis parui momenti præstitis à Deo, cum tamen Apostolus solum assignauerit rationem quandam congruentem huius differentie in communi, ex parte omnipotentie Dei, qui voluit ostendere maximè misericordiam & iustitiam suam vindictiuam. Cæterum in particulari, quare istos homines, istum populum elegerit, & alium reprobauerit, rejicit omnino in abyssum diuitiarum sapientiæ & scientie Dei. Eandem doctrinam ecutus Augustinus, gratia Dei testis insignis & prædicator dixit nobis, Quare iustitabat, illum non trahat, noli velle inuestigare si non vis errare. Eandem doctrinam secutus fuit D. Thomas, & sequuntur omnes, qui humilitate progrediuntur in via Dei. Ita Bannes contra Iauellum. Vide quæ de hac re diximus dub. 1.*

16 Neque tamen ideo negamus, aut ex consequenti negandum est, aliquibus operibus moralibus gratia Christi factis, antequam aliquis cognoscat mysteria supernaturalia, obtineri à Deo rerum illarum noti-

tiam, &

tiam, & ulterius mediâ illa notitia hominem conse-  
qui posse iustificationem; quod ex communi rectè  
asserit Vasquez disp. 91. num. 113. & nos suo loco  
dicemus: etsi nonnunquam repugnare quoad prio-  
rem partem videatur Augustinus: sed hoc solum ne-  
gamus, operibus bonis moralibus sine omni gratiâ  
Christi auxilio factis, prædestinationis gratiam, aut  
villam omnino Christi gratiam obtineri posse, ut  
sentiebant auctores, quos impugnamus: qui auxilia  
quidem Dei specialia, sed non auxilia gratiâ Christi,  
in eiusmodi operibus admittebant, ut dictum. Plura  
de hac re tom. 2. disp. 6. q. 3. dub. 7.

17 A assertio III. Causâ seu ratio motiva prædestina-  
tionis, siue totius, siue ad gratiam congruam prædes-  
tinatorum propriam, non sunt etiam bona opera  
prædestinati ex gratia profecta, seu ipsa præuisio e-  
iusmodi bonorum operum, siue considerentes, ut ex  
ipsa etiam gratiâ siue ut ex libero hominis arbitrio  
procedunt. Ita expressè S. Thomas hic cit. q. 23. a. 5.  
& communis Doctorum, quos citabimus, sententia;  
& quidem adeo certa contra tertiam sententiam su-  
perius relata, ut oppositum non sit probabile. Probat  
ur ex Scriptura, quæ vniuersim docet, prædesti-  
nationem esse gratuitam, & simul negat, in prædes-  
tinato esse aliquam causam prædestinationis, saltem ad  
gratiâ; ut partim ex testimonijs pro prima & secun-  
da assertionem allatis patet, partim magis patebit as-  
sert. 5. Ratio est. Tum quia ipsemet ille bonus vsus  
gratiâ est effectus prædestinationis, etiam prout pro-  
cedit à libero arbitrio: Ergo impossibile est, ut sit  
causa totius prædestinationis, seu omnium effectuum  
prædestinationis, ut rectè etiam argumentatur S.  
Thomas cit. a. 5. Tum quia ipsi etiam reprobi à Deo  
prædestinari potuissent gratia congrua, quam si acce-  
pissent, ea proculdubio rectè fuerant vsuri: Ergo fal-  
sum est, rationem & causam prædestinationis ad  
gratiam congruam esse præscientiam boni vsus eius-  
dem gratiâ, seu cooperationis cum eadem gratiâ.  
Denique ipsa gratia congrua causa est boni vsus libe-  
ri subsequenter, non contra.

18 Notauit id optimè etiam S. Augustinus lib. 1. ad  
Simplic. q. 2. vbi ait: *illud autem nescio, quomodo dica-  
tur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus  
miseretur, etiam volumus: ad eandem quippe misericor-  
diam pertinet, ut velimus. Deus enim est, qui operatur in  
nobis & velle, & operari, pro bona voluntate. Nam si qua-  
ramus, utrius Dei donum sit voluntas bona, mirum si negare  
quisquâ audeat. At enim quia non præcedit voluntas bona  
vocationem, sed vocationem voluntatem, propterea vo-  
canti Deo rectè tribuitur, quod bene volumus, nobis verò  
tribui non potest, quod vocamus. Quibus verbis expressè  
docet Augustinus, nullam in nobis esse causam, cur à  
Deo congruè vocemur; sed hanc potius vocationem  
esse causam omnis bonæ operationis nostræ.*

19 Et ibidem infra: *Non potest, inquit, effectus misericor-  
diæ Dei esse in hominibus potestate, ut frustra ille misereatur,  
si homo nolit; quia si vellet etiam ipsorum misereri (dona-  
tione videl. gratiâ congruâ) posset ita vocare, quemodo  
illis apertum esset, ut & mouerentur, & intelligerent, &  
sequerentur. Verum est ergo, Multi vocati, pauci verò ele-  
cti. Illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem, qui  
non congruenter, neq. contempserantur vocationi, non e-  
lecti, quia non secuti, quamuis vocati. Item verum est, Non  
volentis, neq. currentis, sed miserentis est Dei; quia etiam si*

multos vocat, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quo-  
modo eis vocare apertum est, ut sequantur. Falsum est autem,  
si quis dicit, igitur non miserentis Dei, sed volentis atq. cur-  
rentis est hominibus; quia nullus Deus frustra miseretur. Cu-  
ius autem miseretur, sic eum vocat, quemodo sit ei congrue-  
re, ut vocantem non respuat. Hic dicit aliquis, Cur ergo E-  
sau non sic est vocatus, ut vellet obedire. Videmus enim alios  
aliter, usdem rebus demonstratis, vel significatis, ad creden-  
dum moueri, & c. Cum ergo alius sic, alius autem sic mouea-  
tur ad fidem, eademq. res saepe alio modo dicta moueat, alio  
modo dicta non moueat, aliumq. moueat, alium non moueat,  
quis audeat dicere, desuisse Deo modum vocandi, quo etiam  
Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemq. con-  
iungeret, in qua Iacob iustificatus est? Ita Augustinus.

20 Neque verò par est ratio gratiâ congruâ, quæ est  
equi alicuius, quem rectè saepe donat dominus seruo  
suo, qui eo benefurus est; negat alteri, qui otiosè il-  
lum habiturus; quod exemplum obijciunt contrarie  
sententiæ auctores. Quia equus liget sit materia &  
concausa boni vsus; non tamen per se efficit, & infal-  
libiliter causat bonum vsuum: at verò gratia congrua  
& concausa est boni vsus per modum gratiâ adiuuan-  
tis, & causa infallibilis boni vsus, per modum gratiâ  
præuenientis; in quocumq. reperitur; ita ut ipsa &  
effectus futuro ea nemo abuti, nemo non bene uti  
possit. Quod si par etiam ratio esset equi, ut non so-  
lum facultatem boni vsus, sed etiam ipsum bonum  
vsuum infallibiliter præstaret, cuiusque obtingeret,  
tum planè nulla etiam ratio motiva ex bono vsu fu-  
turo assignari posset, cur huic potius, quam alteri  
donaretur, utpote omnibus ex æquo vsui futurus,  
quibusuis demum obtingat.

A assertio IV. Bonus vsus gratiâ, & cooperatio no-  
stra absolutè futura, non est etiam vilo modo causa  
seu conditio sine qua non, siue totius prædestinatio-  
nis, siue donationis ipsius gratiâ congruæ. Colligitur  
itidem ex S. Thoma hic q. 23. a. 5. & est communis  
Doctorum ac certa, contra quartam sententiam su-  
perius relata, ut videre est apud Vasquez ibidem ci-  
tatu, & inferius patebit assert. seq. Colligitur & pro-  
batur ex dictis assert. præced. quæ eadem ipsa cooperatio  
nostra, etiam ut est à libero arbitrio, est effectus  
prædestinationis: Ergo impossibile est, ut sit conditio  
sine qua non, ad omnes effectus prædestinationis;  
alias enim conditio sine qua non esset etiâ ad se ipsam.

21 Deinde eadem cooperatio nostra est effectus gra-  
tiâ congruæ, eaque posterior, ut antea dictum; Ergo  
non potest esse conditio sine qua non ad donatio-  
nem gratiâ congruæ: quia conditio sine qua non,  
respectu alicuius effectus, est aliquid prius eodem ef-  
fectu, non posterior. Denique Deus cui libet etiam re-  
probo posset donare eam gratiam, qua rectè ipse vsu-  
rus esset: Ergo eius donatio non requirit hanc condi-  
tionem in suscipiente, ut ea rectè vsurus sit; sed facit.  
Huc etiam spectat auctoritas S. Augustini eadem as-  
sert. præced. citata, & alia, assertionem seq. citanda.  
Quare esto opposita sententia grauiorem notam  
non mereatur, certè tamen improbabilis est.

Neque ex eo, quod prædestinatio non sit sine no-  
stra cooperatione, sequitur, cooperationem esse condi-  
tionem sine qua non; quia etiam sol nunquam est  
sine lumine, seu illuminatione: neque tamen ideo  
lumen seu illuminatio est conditio sine qua non re-  
spectu solis; ob eam nimirum ipsam causam, quia est

aliquid

aliquid posterius sole: ita etiam se res habet cum cooperatione respectu gratiæ congruæ, vel prædestinationis ad eandem in adultis, &c.

22 Afferio V. Ex parte hominis prædestinati nulla penitus datur causa meritoria, seu ratio, siue occasio, vel conditio vilo modo motiva, seu dispositiva, seu impetratoria, aut etiam sine qua non, siue totius prædestinationis, siue omnium effectuum prædestinationis. Hæc est expressa sententia S. Thomæ hic q. 23. a. 5. ubi ait: *impossibile est, quod totius prædestinationis effectus in communi habeat aliquam causam ex parte nostra.* Idem docent S. Thomas lib. 3. cont. gent. c. 161. & 163. Ferrariensis ibidem, Caietanus, Bannes, Zumei, & omnes Thomistæ hic cit. art. 5. Magister in 1. dist. 41. quem sequuntur Bonaventura ibid. a. 1. q. 1. & 2. Scotus q. vn. Richardusa, 2. q. 1. Durandus in 1. dist. 28. q. 5. Marfilus in 1. q. 4. 1. a. 2. Ariminenfis dist. 4. 1. q. 1. Heruæus dist. 40. q. vn. art. 3. Driedo de concord. lib. arb. & prædest. part. 1. cap. 3. Sotus in epist. ad Rom. cap. 9. Corduba lib. 1. q. 56. Gregorius de Valentia hic q. 23. p. 4. §. 4. Molina a. 5. disp. 1. memb. 11. Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 9. Suarez lib. 2. de prædest. cap. 24. Valquez disp. 9. 1. cap. 11. & seqq. Lessius de prædest. hominis sect. 1.

23 Probatur primò ex Scriptura. Ita enim expressè docet S. Paulus Rom. 9. à v. 11. longo orationis contextu, his verbis: *Cum enim nondum nati fuissent (Iacob & Esau) aut aliquid boni euisset, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Vbi eum ait, non ex operibus, sed ex Deo vocante, & ut secundum electionem propositum Dei maneret, Iacobum à Deo fuisse dilectum, Esau verò non item, sed respectiue quasi odio habitum (reprobatione scilicet negativa, ut dicitur q. 6.) apertè indicat, nullam causam ex parte prædestinati esse, cur secundum diuinam prædestinationem Iacobus fuerit præpositus Esau: siue interim hoc loco directè agatur de diuina prædestinatione ad vitam æternam; ut quidem communiter Augustinus, alijque Patres & Theologi intelligunt: siue directè solum de prædestinatione seu preordinatione diuina Iacobi ad bona & beneficia, seu prærogatiua quasdam temporales sit sermo, ut vult Valquez in paraphrasi, & cit. disp. 95. c. 8. nihilominus enim hoc saltem quasi paradigmatis seu exempli loco, ac velut quoddam simile diuinæ prædestinationis ad gratiam proponitur, ut omnes SS. Patres & Doctores unanimiter testantur, & ipsemet Apostolus eo loco apertè indicat.

24 Pergit Apostolus ibidem eodem orationis contextu à v. 14. *Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum? Absit, Moysi enim dicit, Miserebor, cuius misereor: & misericordiam præstabo, cuius miserebor. Igitur non volentis, neq. currentis (hoc est proprijs naturæ viribus fatigentis) sed misereor est Dei, &c.* Ergo cuius vult misereor, & quem vult indurare. Vbi rursum apertissimis, ac sæpius iteratis verbis, in solam Dei misericordiam diuinæ prædestinationis consiliū refertur.

Et quia mox hinc oriri videbatur alicuius erga Deum querelæ occasio, quasi Deus frustra de hominum malitia ac interitu queratur; cuius auferendæ vel impediendæ efficaciter penes eum solum originaliter est & potestas, & arbitrium, mox hanc obie-

ctionem, ibidem retundit, & rursus assertionem illam suam de gratuita Dei dilectione & prædestinatione, ratione & exemplo confirmat Apostolus v. 19. *Dicit itaq. mihi; quid adhuc queritur (Deus?) voluntati enim eius quis resistit? O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, Quid me fecisti sic? annon habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Quasi dicat: Nil est, cur homo aduersus Deum idcirco murmuret. Deus enim est absolutus Dominus vitæ & mortis vniuersi usque, non minus quam figulus vasorum, quæ facit. Sicut ergo iste suo arbitratu, absque vlla iniuria, vnum quidem vas destinat ad honestos vsus, aliud verò ad fordidos; ita etiam Deus alios quidem homines eligit ad gratiam, alios relinquit, seu etiam post præuicium peccatum ad pœnam & supplicium destinat. Quare ex toto eius orationis contextu manifestum est, ex mente Apostoli, prædestinationem Dei ad gratiam congruam, electorum propriam, plene esse gratuitam, nec vllam eius ex parte hominis esse rationem motiuam seu inductiuam: simulque indicat etiam eandem esse rationem reprobationis negativæ, ut dicitur q. 6.*

Similis est locus 1. Cor. 4. v. 7. *Quis autem te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisti?* Discretio hæc inter iustum & peccatorem, atque etiam inter prædestinatum & reprobum, fit tum per gratiam congruam, tum per diuinam electionem; cuius proinde nulla ratio in homine potest assignari: siquidem Deo soli discretio hæc tribuitur. Vtroque autem loco frequenter in suis contra Pelagianos & Semipelagianos libris vtuntur Augustinus, & alij Patres, ac Doctores. Huc speclant cætera Scripturæ loca, quibus superius dub. 1. probauimus, nullam dari causam, præter solam Dei voluntatem, cur Deus hunc potius, quam alium prædestinet.

25 Secundò probatur assertio ex SS. Patribus Augustinus quidem vtroque libro de prædest. Sanct. & de bono perseuer. hoc vel maximè ac potissimum agit, ut ostendat, prædestinationem Dei esse gratuitam, nec eius in nobis vllam esse causam, sed in sola voluntate, misericordia, & gratia Dei; quem ita etiam sequuntur Prosper, Hilarius, & Fulgentius: quorum plura testimonia in eundem sensum etiam superius dub. 1. & 3. reculimus. Optimum inter alia est illud eiusdem Augustini lib. 1. ad Simplic. q. 2. cum ait: *Igitur non volentis, neq. currentis, sed misereor est Dei: quando quidem nec velle, nec currere, nisi eo mouente atque excitante poterimus. Quod si electio hic fuit aliqua, ut sic intelligamus quod dictum est, Reliquia per electionem gratia salua facta sunt; non ut iustificationum electio fiat ad vitam æternam, sed ut eligantur, qui iustificentur, certe sua occasio est hæc electio, ut in eadem conspersione nobis prorsus apparere non possit. Aut si apparet quibusdam, ego in hac re iustitiam meam fateor. Non enim habeo, quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, si ad examen huius electionis aliqua cogitatione permittar; nisi vel maius ingenium, vel minoræ peccata, vel utrumque; addamus etiam, si placet, honestas vilesq. doctrinas. Quisquis ergo fuerit quam minimis peccatis irretitus atq. maculatus; nam nullus quis potest? & acer ingenio, & liberalibus artibus excolitus, eligendus videtur ad gratiam.*

*Sed cum hoc statuerò, ita me ridebit ille, qui infirma mundi.*

mundi elegit, ut confundas fortis, & stulta mundi, ut confundas sapientes, ut cum insuens, pudore correctus, ego irrileans multos, & præ quibusdam peccatoribus castiores, & præ quibusdam piscatoribus oratores. Nonne aduersum, multos fideles nostros ambulantes viam Dei, ex nulla parte ingenio comparari, non dicam quorundam hereticorum, sed etiam minorum? Item non videmus quosdam homines utriusque sexus, in coniugali castitate videntes sine querela, & tamen vel hereticos, vel paganos, vel etiam in vera fide & vera Ecclesia sic tepidos, ut eos miremur hereticum & histrionum subito conuersorum, non solum patientia & temperantia, sed etiam fide, spe, charitate superari?

Repat ergo, ut voluntates eligantur, sed voluntas ipsa, nisi aliqua occurrerit, quod delectet atque inuitet animum, moueri nullo modo potest. Hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate. Quid volebat Saulus, nisi ut inuaderet & traheret, vinceret, & necaret Christianos? Quam rabida voluntas, quam furiosa, quam caeca, qui tamen vna de super voce prostratus, occurrente utique tali viso, quomens illa & voluntas refracta, sententia torqueretur, & corrigeretur ad fidem, repente ex Euangelij mirabili persecutore mirabilior predicatore effectus est. Et tamen quid dicemus? nunquid iniquitas est apud Deum? exigentem à quo placet, donante cui placet; qui nequaquam exigit indebitum, nequaquam donat alienum. Nunquid iniquitas est apud Deum? Absit. Quare tamen & hinc ita, & hinc non ita? Homo tu quis es? debitum si non reddis, habes quod gratuleris; si reddis, non habes quod queraris. Credamus tantum, esse capere non valemus, quoniam qui vniuersam creaturam & spiritualem, & corporalem fecit, & condidit, omnia & numero, & pondere, & mensura disponit; sed instrumenta sunt iudicia eius, & inuestigabiles viae eius. Dicamus Halleluia, & collaudemus canticum, & non dicamus, quid hoc? ut quid hoc? Omnia enim in tempore procreata sunt. Haec tenus Augustinus.

Huc specat canon 6. Concilij Arausiaci II. superius relatus, & Concilium Valentianum sub Lothario Imperatore cap. 3. vbi ait: Estemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem; in electione tamen saluandorum, misericordiam Dei præcedere meritum bonum. Rationem eiusdem assertionis deduximus supra dub. 1. & hic assert. 1. vbi probauimus, nullam esse rationem, cur Deus hunc potius, quam alium prædestinet; neque ex carentia obicis seu peccati, vllam posse rationem assignari prædestinationis ad gratiam congruam.

Assertio VI. Datur tamen in homine prædestinato causa etiam meritoria aliquorum effectuum prædestinationis, adeoque prædestinationis, ex parte aliquorum effectuum: sed & inter ipsos effectus prædestinationis vnus est causa alterius; imò etiam mutuo ac vicissim in diuerso genere causæ, alter alterius est causa. Ita S. Thomas hic q. 23. a. 5. Richardus in 1. d. 41. a. 2. q. 1. Egidius Romanus ead. dist. q. 2. a. 1. Durandus ibidem, num. 6. Heruzus in 1. d. 40. q. vn. a. 1. Eckius in Chrysofallo cent. 2. num. 15. & 17 & sequuntur omnes recentiores; adeo ut hæc sit res extra contouersiam apud Catholicos. Probatur & declaratur. Quia de fide est, hominem iustum bonis operibus ex gratia Christi factis de condigno mereri vitam æternam, uti & augmentum gratiæ; nec adultum absque meritis saluari, ut docetur in 1. 2. de gratia: vtraque autem, & merita scilicet illa, &

gloria, effectus sunt prædestinationis: Ergo per vnum effectum prædestinationis homo promeretur alterum.

Et nihilominus tamen gloria est causa finalis meritorum, uti & gratiæ: hæc verò est semen quasi quoddam, seu instrumentum gloriæ acquirendæ; ita ut gloriæ causa quædam efficiens sint merita; meritorum gratia: contra finis gratiæ in adultis sint merita, meritorum gloria: Ergo inter ipsos effectus prædestinationis vicissim ac mutuo vnus est causa alterius in diuerso genere causæ, ut dictum: sicut etiam in rebus naturalibus accidit, ut vicissim ac in diuerso genere causæ vna alterius sit causa. Idem sumitur ex Augustino lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. Ex quibus restet etiam Gregorius de Valentia hic quæst. 23. punct. 4. §. 1. refutat Caluinum, qui lib. 3. Institut. cap. 22 sect. 9. reprehendit S. Thomam, eò quod hic art. 5. asseruerit, merita esse causam prædestinationis, quoad effectum gloriæ; cum potius gloria dicenda sit, causa finalis prædestinationis, &c. Quasi verò non simul vtrumque optime stare possit: cum & in agone seu stadio certantibus (cum quibus homines adultos in hac vita comparat Apostolus 1. Corinth. 9. v. 25.) præmium seu corona sit causa finalis certaminis, & certamen causa meritoria coronæ seu præmij, &c.

Assertio VII. An ipsius etiam in se prædestinationis ad gloriam, causa seu ratio sint bona opera meritoria prædestinati, ex eo pendet, an præuisio meritorum in Deo prædestinante, ratione antecedat prædestinationem seu electionem ad gloriam. Hæc assertio patet ex dictis dub. 2. Neque enim ut dicamus, aliquid esse causam meritoriam seu rationem ipsius prædestinationis ad aliquem effectum, satis est, si sit causa meritoria effectus eiusdem prædestinationis, ut Gregorius de Valentia loc. cit. §. 1. Vasquez, & alij nonnulli existimant; sed necessarium præterea est, ut in mente diuina antecedat ratione prædestinationem ad eiusmodi effectum: qua ratione quæst. seq. dicemus, prædestinationem ad gloriam non esse factam propter præuisa merita. Neque verò S. Thomas hic cit. q. 23. a. 5. alterutram partem determinat; solum enim assignat rationem seu causam prædestinationis ad gloriam, ex parte effectus, non ex parte actus, seu ipsius prædestinationis. Quare in resolutione etiam ita loquitur: Dicendum, quod effectum prædestinationis considerare possumus dupliciter. Vno modo in particulari; & sic nihil prohibet, aliquem effectum prædestinationis esse causam & rationem alterius: posteriorem quidem prioris, secundum rationem causæ finalis; priorem verò posterioris, secundum rationem causæ meritoria; quæ reducit ad dispositionem materiae. Sicut si dicamus, quod Deus præordinauit se daturum alicui gloriam ex merito, & quod præordinauit se daturum alicui gratiam, ut mereretur gloriam, &c. Vbi vocula, Ex merito, idem est quod per merita; & non denominat verbum præordinauit, sed quod antea immediatè præcesserat, daturum alicui gloriam; qui est effectus seu executio illius præordinationis.

Hæc de causis prædestinationis satis.